
450,776.

[illegible]
[illegible]
[illegible]

ACTA
ECCLESIAE GRAECAE
ANNORVM
MDCCLXII ET LXIII
SIVE
DE
SCHISMATE RECENTISSIMO
IN
ECCLESIA GRAECA
SVBNATO
COMMENTATIO

AVTORE
M. IOANNE FRIDERICO LE BRET
Ill. Gymn. Stutg. Professore Geographiæ ordinario, Acadd. Robor. & Florent. Socio.

STVTGARDIAE
APVD IO. BENED. MEZLER.
MDCCLXIV.



PRAEFATIO.

Qui pridie de Statu Ecclesiæ Græcæ in Dalmatia scripsi, id nunc ago, ut recentissimum in ea subnatum schisma commemorem, non ut Græcos exagitem, quos, dum cum eisdem conversari datum fuerat, singulari affectu colui, sed ut, quo remotiores sunt istæ a nobis terræ, inter nos aliqua ad minimum de morbo hoc ecclesiæ Græcæ & de crudelissimis hujus ecclesiæ, quas per-



petitur, injuriis, extet memoria. Morbum appello, quo laborare ecclesiam Græcam, jam ante me demonstratum dederunt alii, in quam quippe vel externis aliorum studiis vel interna ecclesiæ hujus sub Turcis quam maxime gementis imbecillitate multa irrepserunt, quæ nec primævam orthodoxiam sapiunt, nec vel felicissimo successu possunt expelli. Ita scilicet post festum nobis gratulamur nos quidem Protestantes, de plenaria nostra ab ecclesia Romana secessione, quos idem fatum mansisset, quod Græcam ecclesiam ex parte premit, si non ex toto dissensum nostrum coram toto terrarum

orbe



orbe publicæ luci exposuissemus, formata quidem singulari, ab ecclesia Romana sejuncta, pacibusque publicis roborata politia. Schisma referam, non id antiquum, á Romanensibus græcæ ecclesiæ exprobratum, quod inter omnes fere constat, sed recentissimum, hoc & superiori anno subortum, quod tum Præsulem Romanum contra ecclesiam Græcam armavit, tum Patriarchæ Constantinopolitano ansam dedit, in particularem ecclesiam græcam Venetiis degentem ejusque Caput ecclesiasticum, a Venetis præpositum, acriora judicia decernendi, tum Venetos quoque incitavit,



petitur, injuriis, extet memoria. Morbum appello, quo laborare ecclesiam Græcam, jam ante me demonstratum dederunt alii, in quam quippe vel externis aliorum studiis vel interna ecclesiæ hujus sub Turcis quam maxime gementis imbecillitate multa irrepserunt, quæ nec primævam orthodoxiam sapiunt, nec vel felicissimo successu possunt expelli. Ita scilicet post festum nobis gratulamur nos quidem Protestantes, de plenaria nostra ab ecclesia Romana secessione, quos idem fatum mansisset, quod Græcam ecclesiam ex parte premit, si non ex toto dissensum nostrum coram toto terrarum

orbe



orbe publicæ luci exposuissemus, formata quidem singulari, ab ecclesia Romana sejuncta, pacibusque publicis roborata politia. Schisma referam, non id antiquum, á Romanensibus græcæ ecclesiæ exprobratum, quod inter omnes fere constat, sed recentissimum, hoc & superiori anno subortum, quod tum Præsulem Romanum contra ecclesiam Græcam armavit, tum Patriarchæ Constantinopolitano ansam dedit, in particularem ecclesiam græcam Venetiis degentem ejusque Caput ecclesiasticum, a Venetis præpositum, acriora judicia decernendi, tum Venetos quoque incitavit,

 in



in dubiis consiliis & sua jura & Græcorum internam quietem sartam tectamque tuendi. Est itaque id Schisma in Capite, aliis pro illo stantibus, aliis contra idem insurgentibus. Iactantur excommunicationes tum Romæ, tum Constantinopoli. Animi ita perturbati sunt, ut proximus fere Ucalegon ardere videatur. Rem ego sine partium studio ex juris ecclesiastici placitis, juris Græcorum maxime, tum & Juris, quo Principes gaudent, definivi. Notavi *primo* capite, quid Papæ curæ sit, quomodo ista Curia in jura Principum involet, quantas injurias Græcis infligant Episcopi Romani, qui carcere, catenis, tri-

remi-




remibus, aliisque diris ad Romanam fidem hanc ecclesiam conantur adigere. Usus sui Actis authenticis, quæ penes me extant, & quorum inspectionem aliis, ut fidem dictis firmem, permitto. *Primum Breve Papale*, quod in sup. diss. jam in extenso attuli, non nisi quoad capita primaria inserui. Altero Capite Acta Patriarchæ Constantinopolitani, quæ rariora sunt, attuli, ex quibus discipina ecclesiæ Græcæ & jus ejusdem. Canonicum satis patet. Dogmatica hoc loco tractare nolui. In materiis hisce jam priori diss. ad Summ. Rev. Dn. D. *Ernesti*, Theologi Lipsiensis celeberrimi *Antimuratorium* provocavi, qui liber tanti mo-

menti



menti Catholicis visus est, ut Indici librorum prohibitorum insererent. Commendavi etiam Ven. D. D. *Kieslingii*, histor. concert. inter Græcos & Latinos de transsubstantiatione. Inter Græcos vero ad Spiridionem *Miliam*, Virum summum provoco, qui ecclesiæ suæ vivum est ratione dogmatum, canonum & eruditionis oraculum. DEus verbo suo vires addat, ut & ultra mare vigeat!



De


DE SCHISMATE RECENTISSIMO IN ECCLESIA GRAECA SVBNATO,

SIVE

ACTA ECCLESIAE GRAECAE ANNORVM 1762. & 1763.

** *** **

Le ſaux zele eſt un tyran, qui dépeuple les provinces: La tolerance eſt une tendre mere, qui les ſoigne & les fait fleurir.



CAPVT I.

Quo argumenta Curiæ Romanæ ex Actis pertractantur, cum anacrisi.

§. 1.

Inferendum statuo Breve primum hac in causa a Papa Clemente XIII. ad Venetos missum, anni superioris die 26. Febr. datum, in quo hæc fere capita Venetis objiciuntur.

1) Antiquam Venetam pietatem & studium erga ecclesiam Catholicam minui.

2) Episcopum, cujus eligendi potestas Græcis facta, esse a) schismaticum, b) illicite ordinatum, c) manuum impositionem extra ecclesiam suscepisse.

3) Papa testatur propensam voluntatem in conferenda omni opera, ut Græcorum res jam

diu confusæ ac perturbatæ ad pristinam sinceræ doctrinæ sanitatem reducantur.

4) Multum ignominiæ & dedecoris afferre, pietatem & religionem Reipublicæ turpiter inquinari, si *perversorum conatus* contra Dei legem, contra institutionis Catholicæ unitatem, contra apostolicam auctoritatem, contra majorum statuta prævaleant.

5) Provocat ad facta historica, v. gr. a) a Leone X. impetrasse Venetos & Græcos, ut S. Georgii ædes immediate Sedi Romanæ subjiciatur. b) Sanctiones prostare A. 1534. & 1542. de catholicis presbyteris regendæ ecclesiæ præponendis, qui se Catholico Patriarchæ probassent. c) Sanctiones has *hominum pravitate* labefactatas, A. 1720. renovatas fuisse, remoto sacrorum Ministro, schismatis suspicione infecto.

6) Queritur, invalere Schismaticos, gemere Catholicos & afflictos jacere, schismaticam perfidiam religioni insidias struxisse, Lupum in ovile dominicum induci, altare profanum erigi, cathedram erroris & pestilentiæ constitui.

7) Esse

7) Esse se speculatorem in domum Israël, agi de fide & de servanda illa incorrupta.

§. 2.

Meum est, argumenta hæc absque partium studio dijudicare. Primum est de pietate Venetorum, quæ vel in credendis vel in agendis versatur. Si de credendis sermo sit! antiquam fidem Veneti retinent, nec Catholica religio dominio suo hac in Republica decidit. Quoad dogma Catholicum, nulla unquam in hac Republica mutatio facta, quam gloriam Veneti anxie defendere & tueri satagunt. Hinc si *Amelot de la Houssaye* & Auctor scripti: *Squittinio della libertà originaria di Venetia*, porro ipse *Queva* in *Relatione sua MScta* de hac Republica, satyrico sale Venetos perstringant, non nisi res tangunt, ad summam Principum majestatem pertinentes, quam jurisdictionem Veneti instar aliorum Principum Catholicorum contra Curiam Romanam quovis modo illibatam servant. Non enim de clandestinis Lutheranæ & Calvinianæ doctrinæ motibus tempore reformationis & Concilii Tridentini, interdictique etiam Pauli V. hic loquor, sed de publico doctrinæ typo & dominio. In omnibus cum Catholi-

cis consentiunt, quapropter tum episcopos deprehendes Catholico Romanorum stylo zelantes, tum cultum sanctorum magna cum pompa, quæ ad luxum fere excedit, continuatum. (*) Deprehendes

(*) Quid hac in re templis Italicis, ubi sanctorum proponuntur imagines, inhæreat maculæ, id ego, nisi id alii jam ante me palam dixissent, sicco pede præterirem. Sed graviter contra hæc vitia testatur *Salvator Rosa*, ipse Catholicus in Satyris inter Venetos editis, licet Amstelodamum in fronte ferant. Sat. III. quæ *la Pittura* inscribitur. Pag. 73. ita infit:

- - - peggio s'impiega
La sacrilega industria e l'empio abuso,
Che nelle Chiese, ove s'adora e prega,
Delle donne si fanno i Ritrattini,
E la magion di Dio diven bottega.
Della fè, del timor rotti i confini,
In faccia a Dio fomentano i colori
Gl' adulteri e gli Stupri agli Zerbini.
p. 74. Più tavola non v' è, che almen sia casta,
Che per i Tempi la Pittura insana
La religion col puttanesmo impasta.
O quanti Arrelli in quest' età profana
Di Numi in cambio, nelle sacre tele
Dipingono il Bardassa e la Puttana?

Onde

hendes Sacra Venetiis fieri majori cum impensa, quam Romæ, & Clerum in casibus conscientiæ & reservatis præ reliquis laborantem. (*) Id unicum est, auctoritatem Papæ eo loco non haberi, quo vellet Pontifex, & ecclesiæ Gallicanæ principia non palam, clam vero invalere, quapropter tum a Brevibus & Bullis, tum & a Sanctis v. gr. Gre-

Onde tradito poi lo stuol fedele
Con scelerata e' folle Idolatria
Porge i Voti all' Inferno e le querele;
Che d'un Angelo in vece e di Maria
D'Ati il volto s'adora, e di Medusa
L'effigie d'un Batillo, ò d'un' Arpia.

(*) Casus reservati sunt vel Episcopo vel Pontifici. Quævis fere diœcesis certis consuetudinibus in reservandis hisce casibus utitur. Id vero quam maxime vellem, supprimi omnes aut illos certe articulos, ubi de peccatis carnis est sermo. Scandala sunt perpetua Libri integri *Suarezii* de matrimonio, & multa peccata, quæ ne fando quidem unquam acceperis, in hisce libris inveneris, quæ animo cultiori & religiosiori stomachum & nauseam movent. Quodsi enim Confessoribus abominationes ejusmodi revelentur, quid opus est in libris publicis eadem, quæ compluribus ignotæ manerent, nominari?

Gregorio VII. abstinent, si vel directe vel indirecte Principis auctoritas petatur.

§. 3.

Principiis sic positis, studium in catholicam religionem minui dici nequit. Studia sua in eandem sæpius jam commonstrarunt tam in Concilio Florentino, quam Tridentino. Quid in hoc a Venetis sit præstitum, habet *Sarpius*, & ipse *Pallavicinus*, Romanæ dignitatis strenuus alias assertor, cujus auctoritas inter Catholicos minus est odiosa quam Sarpii. Refert *Pallavicinus* L. 18. C. VIII. n. 15. ed. Mediol. 1745. P. III. ex ipsis actis Borromæi, quo cardine volvebantur res Tridentinæ, *Oratores Venetos ex illis congregationibus abfuisse, ubi omnes fere Legati coierant & consenserant de petenda ecclesiæ reformatione*, „à nettar la Chiesa da tanti rei usi, ed a correggervi i depravati costumi.„ Veneti itaque Oratores id beneficii & studii præstabant Romanæ Curiæ, ut cum Legatis Pontificiis in deneganda reformatione consentirent. Et cum e re Romanensium esset, truncare Concilium, ne alia postulata eaque graviora in medium proferrentur, res cum unanimi consensu tum Venetiis tum Tridenti fuit pertractata,

re-

refragante licet Comite *Luna* Hiſpano, & ut denuo Proteſtantes invitentur, poſtulante. L. XXII. c. 1. p. 596. hinc & omni ſtudio finem Concilii urgebant. In Canone de matrimoniorum divortiis Græcos quidem excipi ab anathemate volebant, id vero non niſi eam ob cauſam faciebant, ne ab obſequio erga Prælatos & Latinos avellerentur. L. XXII. c. IV. n. 27. Nonne hoc eſt ſtudere religioni Catholicæ? Licet quoque *Nicolaus de Ponte*, Orator Venetus, libertatem Concilii præoptaret, tandem tamen ſubſcripſit, Venetique inter primos fuerunt, qui Concilium Tridentinum acceperunt. Quid vero a Venetis pro Sede Romana in Concilio Florentino ſit præſtitum, & quantos ideo ſumtus inſumſerint, deſcribit ex parte *Laonicus Chalcondilas de reb. Turc.* L. VI. p. 96. 6. ed. Lat. Francof. 1565. partim alii ſcriptores Veneti, ita ut ſumma plane rerum a Venetis fuerit pertractata. Taceo ſtudium Venetorum in reſtituendo Alexandro III. Dogma itaque adhucdum idem eſt, aliæ vero viæ pro ratione ſyſtematis politici libertatem tuendi, alia media, rempublicam tam domi augendi quam foris muniendi. Quod diſſentientes, v. gr. Lutheranos, Calvinianos,

 Græcos,

Græcos, & ſic porro, tolerent, id ad jura Principis pertinet majeſtatica. Quicquid contra ea moneat ac oggranniat *Pompejus Marinus*, res eſt in vado. Marinus enim, cui ſcripta Sarpii omnia fuerunt propoſita, directe ſenſa prodit Sarpianis contraria, quoad jura Principis Veneti in tolerandis heterodoxis. Ita ille: „ *Nè tolerando giammai in Città ſi Cattolica reduzioni, ben ſecrete d' infedeli, nè che ſian predicate dottrine contrarie al cattolico dogma. Devonſi però à tutta poſſa perſeguitare e caſtigare quelli, che l' inſegnaſſero, non risparmiando* ſanguinarie dimoſtrazioni, *per frenar i diſordini di tanta importanza, al che ſi ſtimola non ſolo l' onor di Dio, mà la ragion politica, perchè le Novità in materia di religione apportano ſempre ſedizioni, ſpargimenti di ſangue e ruina de' governi, e di ciò ne diedero funeſti eſempi la Germania.* „ *&c.* Pietatem Venetorum minui per tolerantiam hanc, quis dicat? Quis prætendat, eandem minui legibus, quas habent, culmini Romano contrariis, quæ & antiquæ ſunt & in ipſa forma Reipublicæ fundatæ, quas qui tangit, rem publicam tangit. Gravis & moleſta Romanenſibus eſt lex Veneta contra Papicolas, i Papalini

palini dictos, de quibus commentatio singularis Patricii MEMI in manibus est: ea vero lex de expulsione Papicolarum sive partium papalium studiosorum ex conventibus publicis non de dogmate, sed non nisi de jurisdictione summa & Majestatica tractat. Romæ pro certo mihi fuit affirmatum, ex Venetis ad Romanos nonnisi scutorum octo millia redire, quod sane, si priorum temporum rationem habeas, nihil & pars fere contemnenda est. Succo vero vitali Romanos privarunt non Veneti soli, sed & Galli & Hispani una cum Lusitanis, quorum pietatem minui, ex hoc solo capite dici nequit.

§. 4.

Alterum est, Episcopum, cujus eligendi potestas facta fuit Græcis, esse *Schismaticum.* Schismaticus ex juris Canonici placitis est, qui se ab unitate ecclesiæ per inobedientiam separat. Jam cum quam atrocissimæ sint Schismaticorum pœnæ, verbi gr. Excommunicatio, depositio, bonorum confiscatio, & a se gestorum annullatio, non levis macula est, stylo curiæ Romanæ Schismatis argui. Si vero thesis ad casum propositum applicetur, alia est quæstio, an Episcopus Græco-

rum

rum absolute loquendo sit Schismaticus, semper quippe ab ecclesia Romana avulsus, cui nunquam fuit addictus. Nisi pro pontificiis partibus velis allegare, ecclesiam Venetam Sancti Georgii semper Papæ fuisse subjectam, cui Schismaticus immitti nequeat. An Schismaticus sit *Facea*, ad personalia pertinet, & opponentis est, asserta demonstrare. Ex actis historiæ ecclesiasticæ patet, quam arbitraria sit inter pontificios Schismatici definitio, idque exemplo *Bonifacii VIII.* demonstrat *Thomasius* ad *Lancellottum* lib. IV. n. 163. *Illicita* ordinatio aliud caput est, quod Papam male habet. Ut licita sit ordinatio, ex jure Canonico requiritur electio Canonica, examen, confirmatio. Electionem Faceæ Canonice factam, negari facile nequit, facta quippe est ab iis, quorum interest, & qui jus habent, facta est ab ecclesia græca Veneta, facultate data a summo imperante, cujus est, electum in temporalia immittere. Canonice electus, idem etiam a Senatu confirmatus est, quod illi, vitio quidem exprobrari posset, quia curia Romana confirmationem sui juris esse affirmat, ex nexu capitis, & primi Episcopi cum reliquis Episcopis, vel, licet suo jure cesserit, jus con-

confirmandi penes Patriarcham Constantinopolitanum est, qui vero confirmare noluit, quia nonnulli abusus prius in ordinem erant redigendi, tum Facea, pluralitate votorum electus, criminis Simoniæ fuit insimulatus, quippe præ potentia & opibus Græci cujusdam, qui partes Faceæ fovet, electus. (*) Examen, cui Episcopi sunt subjecti, multi non subeunt. Non subit v. gr. Patriarcha Venetus, ob dignitatem Reipublicæ. Nec subire potest Græcus Episcopus sive Facea sive alius quis, quia tum jura Nationis & ecclesiæ Orientalis læderet, tum vero ad fidem adigeretur, a qua perquam est aliena ecclesia Orientalis.

§. 5.

(*) Occultis artibus eo rem adegisse *Faceam* putant, patrocinio, vel si mavis impotentia Maruzziana protectum. Majori enim & potiori jure gaudet D. Spiridion *Milia*, Corcyrensis, eruditissimus Vicarius Episcopalis ecclesiæ S. Georgii, quo munere jam per septennium fuit functus, & qui in nova Conciliorum editione Mansiana maximopere desudat. Contra hunc Miliam tecta fraude artibusque Simoniacis egisse Faceam, sunt qui memorant, quas lites ego componere nolim.

§. 5.

Cum vero ad ordinationem ex Canone IV. Concilii Nicæni, qui adhucdum inter Græcos in uſu eſt, tres requirantur Epiſcopi, quæritur, an Facea huic præcepto ſatis, quod eſt, fecerit. Ipſe quidem Corcyræ conſecrationem ſuſcepit, quam ipſius Antagoniſtæ, ſaniores quidem Græci, illegalem, clandeſtinam, Simoniacam vocare non dubitant. Sic multæ ex utraque parte contra eum dantur exceptiones, non quidem æque inter Romanenſes notæ, quorum nec eſt huic ſeſe ingerere liti, ad eos non pertinenti, at inter Græcos notiſſimæ. Si de regulis ordinationum generalibus quæſiveris, quas habet D. *Rebuff de Monte Peſſulano* Ven. 1560. p. 335.

Primum præcipitur, quod ſit ſine crimine Præſul,
Monogamus, ſobrius, pendens, ornatus & hoſpes,
Caſta docens, non percuſſor, non litigioſus,
Non cupidus, bene diſpoſitus, non neophytusve
Talis Apoſtolica, quod præſit, regula juſſit,

eæ principium petunt, idque mali eſt, quod Georgium Faceam premit, non vacare eum crimine ſimoniæ, nolle eum pendere a Patriarcha Conſtantinopolitana, quod vero quid ad Romanos?

Tertio

Tertio loco, manuum impositionem ei extra ecclesiam Romanam fuisse collatam, asseverat Curia Romana. Quid tum, si cætera sint paria? Sunt inter Catholicos, sunt & inter Protestantes, qui manuum impositionem absolute necessariam reputant, illi, ut characterem indelebilem tueantur, hi ob alias causas, episcopalemque successionem, in terris quippe Protestantium, ubi ordo Episcopalis fuit servatus. Cel. *Pfaffius* in Origg. jur. eccles. ed. 1756. p. 21. ex Maimonide aliisque demonstratum dedit, manuum impositionem ne apud ipsos quidem Judæos fuisse necessariam, adeoque nec Christus a ritu judaico deviasse dici potest, qui in missione Apostolorum prima & secunda ab impositione manuum abstinuit, sed pro summa autoritate in sequiore missione eos insufflavit Joh. XX. 20. 22. 23. Impositio manuum facta est vel in ordinatione Act. VI. 5. vel in confirmatione baptizatorum, Act. VIII. 17. vel in sanationibus, Act. IX. 12. In confirmatione baptizatorum S. Spiritus illapsus sæpius subsequebatur, id quod hodie non fieri inter omnes constat. In hac materia sunt, qui in excessu, sunt &, qui in defectu peccant. Illi impositionem manuum ob effe-

ctus

ctus sanctitatis cujusdam fere physicæ absolute necessariam reputant, ut Catholici, ipsi etiam Græci, quorum vero σφραγὶς multum differt a charactere indelebili Scholasticorum, mitiorem certe interpretationem admittit; Angli porro Episcopales, licet a caractere indelebili de cætero alieni. In defectu peccant, qui prorsus ab illa abstinent, altoque despiciunt supercilio. Nos media via incedentes, ut ceremoniam laudabilem in se retinemus, cui ob ordinem ecclesiæ nostræ nos addiximus. Alia vero est quæstio, mihi a Protestantibus intra & extra Sueviam mota, an validum & ratum sit Sacramentum sive Baptismi sive S. Cœnæ, a Ministro administratum in publico cœtu, qui a Consistorio, facultate ea administrandi, fuit exornatus. Ego quidem, Würtembergicæ ecclesiæ addictus, hac de re prorsus non dubito, nec facta mihi exceptio vel tantillum me movit. Quod si vero manuum impositio extra ecclesiam fiat, illegitimam eam esse oportet in effectu & respectu ad ecclesiam, cui quis addictus est. Posito quidem, esse Virum, cui manus sunt impositæ, ecclesiæ Romanæ membrum, eo casu Romana ecclesia jus in eum nanciscetur.

tur. (*) In *Faceam* vero, ſive ordinetur, ſive non ordinetur, jus huic eccleſiæ non competit, quod a Græcis ſemper negatur, adeoque manuum impoſitio ipſi au. epiſcopis græcis facta inter Græcos

(*) Tempore Zonaræ diſtincta fuiſſe videtur χειροτονία a χειροθεσία, Act. XIV. 23. χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν dicuntur Apoſtoli, χειροτονεῖν vero ſenſu generali *creare, conſtituere*, ſignificat, ſenſu vero ſecundario pro ordinatione accipitur, docente Motta de jure Metrop. p. 8. *Zonaras*, χειροτονίαν, ita explicat: ὅτε τοῖς τῶν πόλεων πλήθεσιν ἐξῆν, ἐκλέγεσθαι τοὺς ἀρχιερεῖς, συνήσαν τὰ πλήθη. Καὶ οἱ μὲν τὸν δὲ ᾑροῦντο, οἱ δὲ τόνδε ἵνα οὖν ἡ τῶν πλειόνων κρατῇ ψῆφος, λέγεται τείνων τὰς χεῖρας τοὺς τὴν ἐπιλογὴν ποιουμένους, καὶ διὰ τούτων ἀριθμεῖσθαι τοὺς ἕκαστον ψηφιζομένους, καὶ τὸν παρὰ τῶν πλειόνων αἱρούμενον, εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην προκρίνεσθαι. Ita Zonaras tempora determinat, quibus Civitates extenſione manuum ſacrorum præfectos eligebant.

cos cæteris paribus observato, sc. ordine legitimo tum ratione subordinationis, tum ratione consecrationis, legitima, inter Latinos illegitima esse potest.

§. 6.

Tertio Papa propensam testatur voluntatem in conferenda omni opera, ut *Græcorum res jam diu confusæ ac perturbatæ ad pristinam sinceræ doctrinæ sanitatem reducantur. Confusas res Græcorum* jam diu esse ac valde perturbatas, in aprico est. Caussæ confusionis vel ab injuria temporum vel a mutata imperii Græci forma, vel, hoc in casu maxime, ab abusibus longo abhinc tempore in S. Georgii ecclesia gliscentibus, quibus suffocandis impar est zelus Patriarchæ Constantinopolitani, remoti quippe & diversis collisionibus præpediti, vel ab ipsis Latinorum, qui Romanis partibus sunt addicti, cuneis sunt repetendæ. Dum *Cuneos* Latinorum Episcoporum nomino, non mihi deest ratio denominationis. Præ manibus habeo, MStam *Allegationem in jure circa Græcos*, ad Ill. Senatum datam a Cel. Dn. Comite *Wrakien* & Antonio a Montagnacco, Canonico, utroque Ser. Reip. Consultore. Supplex Senatum adit Civitas *Scardona*, quæ

mox

mox Turcis, mox Venetis, jam vero, secus ac D. *Büsching* docet T. I. p. 1067. constanter Venetis subest, rogatum, ut pro 500. capitibus, templo publico privis, liceat exstruere templum, dum multi diem obeant absque debito sacramentorum usu. Petitio in se justa, & si tolerantiæ jura bene capiantur, vix deneganda! At *cunei* Cleri Latini in causa erant, ut denegaretur. Permisit templi fabricam a. 1713. Prætor Carolus Pisanus. Insequenti anno, nec non 1716. *Cuneus* accessit *Vidovichii* Episcopi, qui vetuit. Supervenit anno 1746. *Cuneus* Episcopi *Bragadini*, qui denuo ad amussim Decreti Ducalis a. 1714. libere vetuit. Supplices iterum rogitarunt Græci familiis 66. constantes, ut publica æde gaudeant. Meliorisne, dicunt, conditionis sint Græci, quam subditi tum Austriaco sceptro, tam aliis Principibus? An suspensio tanti beneficii Venetos commercii Illyrici flore privet? Quid tum, si Vicarium eligamus, a Latinis sejunctum, qui sacra nobis impertiat? Aliine Principes Schismatis Græci æque sunt curiosi? Hæccene exceptio, hiccine *cuneus* Græcos ad Turcas adigat? Principium *allegationis* supra dictæ, omnes *Græcos*, vere Catholicos, *qui com-*

munionem habeant cum ecclesia Latina, qui in Diœcesi Episcoporum Latinorum versentur, ibstrictos esse ad obsequium Episcopo Latino in rebus spiritualibus & divinis præstandum, lubricum est, & eo ipso refutatur, quod Græci in civitate quidem, non vero in ecclesia Romana sint, adeoque non nisi Principi in rebus civilibus, non vero Episcopis in rebus ecclesiasticis subsint? Sed hic *Cuneus* natales debet Bullæ Pii IV. d. 16. Febr. 1564. hujus Papæ 74. qui Bullas Clementis VII. & Leonis X. Græcis nimis benevolas, revocavit. Hic quippe *Cuneus* est ille, ut Monarcha ait, *faux zele*, qui dépeuple les provinces. Quid sibi vult principium hoc, in Veneta Republica, Patriarchæ Romano subjecta, nunquam fuisse toleratum exercitium Ritus Schismatici publicum? Sed cur alii tolerant? Cur Austriaci tolerant? Vid. Diploma d. 20. Febr. 1751. Cur Thusci Liburni tolerant? Sapientissimam Exc. Dni Grimani mentem in superiore jam diss. expressimus. Præponatur ecclesiæ Slavicæ caput bonæ indolis, quod consilium inde ab a. 1722. jam meditantur Veneti. Aut igitur superandi erunt hi *Cunei*, aut miserrimus erit Status ecclesiarum non minus, quam politiæ Illyricæ. Natura

ra Græcæ plebis, inter Turcas minus excultæ, ad multa flagitia ſponte incitatur, id quod non religioni in ſe, ſed ipſi flagitioſorum naturæ tribuendum, uti enim ſuperſtitio fere omnes religiones eisque addictos pervaſit, ita & Græcam religionem læſit, quæ alumnos habet, miſera ſuperſtitione laborantes. Multa quippe habent ſana dogmata, quæ vero artibus Romanorum ita ſunt depravata in nonnullis Græcis, (quis enim corruptionem toti cuidam cœtui tribuat?) ut ſchisma eccleſiæ Græcæ ex ipſis fere moliminibus Latinorum ſit exortum. (*) Inter Turcas commorantes omni fere occaſione excolendi literas deſtituuntur, ademtum tam antiquæ Nationi imperium dolent, antiquitatem Nationis venerantur, ſic certe omnia jacent confuſa, niſi Princeps, cujus terras incolunt, manum afferat opitulantem. At cum plerique Principes, in quorum terris verſantur, ſint Catholico - Romani; medela apud

(*) Quam vellem, in lucem prodeat *hiſtoria pragmatica eccleſiæ Græcæ* Epiſcopi Athenienſis *Meletii*, qui omnia hæc molimina ad A. 1720. usque perſequitur.

apud nonnullos non nisi catholica est, quam intimo corde respuunt. Sic recoctam crambem eis recoquere, idque ad palatum Curiæ Romanæ, hoc est, quod quam maxime aversantur. Propensa itaque sit Pontificis voluntas in curandis hisce malis, sed ubi vires? quis eum medicum advocavit? Græca natio ab eo abhorret, Veneti subditorum saluti prospicientes, libertatibus singulorum student, quæ laus reipublicæ Venetæ est propria. Græcus quidam, Vir summæ eruditionis & magni usus tum bellici tum civilis, obsequio meo & amicitia dignissimus, D. C. D. ut ex literis accepi, Apologiam pro Græcis contra Latinos meditatur, quæ ex penu tanti Viri profecta erit quam limatissima. *Lambertinus Papa*, magnus ille inter Pontifices *Benedictus XIV.* studii certe nihil intermisit, ut Græcos ad bonam frugem reduceret, at perspecta rei difficultate ab isto proposito abstinuit. Pergit *Clemens XIII.* & Orientem respicit, pomœria ecclesiæ, quoad ejus fieri potest, amplificaturus. Sed quonam eventu? Si vel eo rem adigat, ut *Facea* munere extrudatur, mens tamen Græcorum semper erit eadem.

§. 7.

§. 7.

Quartum objectionis caput est ignominia, quam Papa in Venetos redundaturam suspicatur ex inquinata pietate & religione. Ardua est quæstio ex principiis juris ecclesiastici universalis determinanda, an Principi Catholico in terris Catholicis jus sit, secus sentientes non quidem plenaria civitate donandi, sed saltim in status suos recipiendi, concesso eisdem vel publico vel semipublico vel minus quam semipublico, aliquali tamen cultu. Pertinet id ad jura Majestatis, quæ tangere nefas est. Ejus enim, penes quem majestas residet, est dispicere, quid e re publica sit. Quod si secus sentientes rem publicam augeant & amplificent, (*) Principis Catholici est, eos ex capite

(*) Sic in Actis Græcæ Nationis MSctis constat, quantum rem Venetorum publicam augeant & amplificent Græci, *tanta suddita gente*, dicit Archimandrita *Milovich*, (qui, sacerdotem scandalosum & carnis illecebras sectaturum, ab officio pro facultate remoturus, publico *carcere*, en spiritum a tolerantia alienum! fuit mulatus) *che sempre è la prima vittima a spargere con valore il suo sangue*, i. e. tot subditi, qui prima semper sunt victima, quæ for-

pite sanæ politicæ tolerare, quod judicium cum subditorum foro non sit permissum, qui Majestatem non habent, nec eorum est, hac de tolerantia torvis uti oculis. Deduco id ex principiis generalibus. Germaniæ enim casus toto cœlo diversus est, ubi pax Westphalica tolerantiam hanc certis religionibus adstrinxit. *Religio* itaque *dominans* in se tolerantia civili *non inquinatur*, nec ejus jura infringuntur. Prævalere *perversorum conatus* contra Dei legem, altioris est indaginis. *Romæ* semper in more fuit positum, vellicare auctoritatem Principum viis quam maxime tectis & obliquis, cum Marte aperto frontem opponere non sit consilii. Conatus *perversorum* re bene ponderata in *Venetos Senatores* dicuntur, qui de Capite Græcis præponendo cogitarunt, quod quam injurium sit, quisque facile videt. Nec datur lex Dei

fortiter sanguinem pro patria spargit. Acta hæc penes me extant, nec fucum facio. Titulus eorum est: *Suppliche dell' Archimandrita e Teodoro Milovich, presentata all' Ecc. Cons. di X. 1760.* Itane Carcer modus est augendi rem & caussam publicam? Plura dicere nolo, sed possem nominare Episcopos.

Dei ſcripta univerſalis, quæ omnem ſecus ſentientium vetet tolerantiam. Iſraëlitas populum Dei peculiarem alia ſacra in terra ſua haud habuiſſe, non eſt hujus loci, inter quos Theocratiæ & promiſſi Meſſiæ reſpectus terræ aliam faciem præbebat. Grave eſt in jure eccleſiaſtico Catholicorum argumentum de Unitate inſtitutionis Catholicæ. Hæc enim ipſis nota fere eſſentialis eſt eccleſiæ, quam nos negamus, Thummiusque noſtrâs in Synopſi præcip. art. fid. p. 463. fictæ huic unitati regni diabolici unitatem opponit ex Luc. XI. 18. Quæ comparatio non niſi inſtantiæ locum habet, & violenti nonnihil aut certe odioſi ſecum fert. Generaliſſime loquendo Unitas eſt vel voluntaria vel non voluntaria, illam in eccleſia Catholica non eſſe, in propatulo eſt. Unitas enim in Capite viſibili ſolo non eſt veri nominis Unitas, cum membra & inter ſe & contra Caput ſæviant. Unitas itaque etiam datur invitorum, quo Cap. XIII. Apocalypſeos pertinet. Odioſam vero eſſe hanc Veneris factam objectionem, ex eo patet, quia ſtylo Romano non niſi illi unitatem eccleſiæ convellere dicuntur, qui ab ea ſe avellunt, id quod de Proteſtantibus efferunt, quos hæreti-

cos vocat Papa. Acerba itaque est objectio, prævalere conatus perversorum contra catholicæ institutionis unitatem, quam Veneti jure ægre ferre debent. Græci enim, qui dudum ab ecclesia Romana fuerunt separati, unitatem convellere dici nequeunt, quam nunquam acceperunt. Sic luditur ambiguitatibus quam maxime odiosis. Quæ de apostolica auctoritate monet Papa, eam frustra obtendit in re, quæ sui fori non est, & ad jura Principum majestatica pertinet. Nam Principis est, dispicere, quænam personæ religiosæ conveniant eos, qui diversæ & nonnisi toleratæ religionis sunt. Principis est, præcipere, ut se vel nescio vel invito in provincias non immittantur, qua de re bene præcepit Franc. *Diedo*, *Dalmatiæ* pro Venetis prætor in literis publicis a. 1759. in Actis MS. Sed Principis non est interna jura & sacra religionis toleratæ turbare vel violare.

§. 8.

Provocat Papa ad monumenta ecclesiæ Venetæ typis edita. *Flaminius* quippe *Cornelius*, Vir Senatorius, monumenta ecclesiæ Venetæ ex ipsis Archivis protulit, qui in hoc genere præstantissimus est. Fatetur ille, templum S. Georgii immediate

Sedi

Sedi Romanæ fuisse subjectum, licet alio fine, ac jam intendit Curia Romana. Quod cum factum sit historicum, ex fide scriptorum est dijudicandum, habemus vero MSctam pro Græcis apologiam Patricii cujusdam, Abb. Petri Antonii *Muzzi*, qui prorsus negat, fundatores hujus ecclesiæ unquam fuisse Græcos unitos. Posito vero, hanc sacram ædem ab Unitis fuisse extructam, quod autem a vero ex ea quoque ratione abludit, quia Græcorum nemo, qui in hoc cœtu sacra faciunt, Inquisitionis Tribunali est obnoxius, (*) obnoxiis Catholicis omnibus, posito, inquam, non concesso hoc casu quæritur, an reliquæ Græcorum ecclesiæ hinc inde extructæ una cum templo Venetiis exstructo, eidem se submiserint potestati, quod falsum esse, in priori diss. demonstravi. Facta historica, ad quæ provocat Papa, luce sua privari nequeunt. Exstant Decemvirales sanctiones a. 1534.

(*) Verba Decreti *Petri Lauredani* a. 1569. ita fluunt: *Omnem operam date* (scribit vero Duci Cretæ) *ne ab isto Inquisitionis tribunali Novationes introducantur, quæ plerumque scandala pariunt, & perturbationes, maxime vero, ne ab hoc Tribunali Græcis molestia inferatur.*

1534. & 1542. quibus cautum est, ut ad regendam ecclesiam Græcam Viri duntaxat, Catholico Patriarchæ adprobati, adsciscerentur. At vero Græci sano sensu Catholicos se dicunt, non vero Romano - Catholicos, licet itaque sint Catholici, non tamen sunt uniti. At id mali in hac re observamus, Latinos Episcopos inde ab antiquo ævo Græcos subinde vellicasse. Jam a. 1578. Candiæ Archiepiscopus Græcos ad professionem fidei Romanæ voluit adigere, a Principe Veneto minis ideo atque increpationibus ad obsequium revocatus, ne Græcorum libertatem conscientiæ turbet. (*) Quid?

(*) Præ manibus habeo ex ipsis Actis has Ducis *Nicolai da Ponte* literas publicas, ex quibus patet, quam male Græcos habeat Clerus Latinus. Prohibuit tum temporis Archiepiscopus 1) ne quis sacerdotalem dignitatem suscipiat, nisi subscriptione recipiat Ritum ecclesiæ Romanæ; 2) ne quis verbum divinum prædicet in templis Græcis absque prævia concessione Episcopi Latini, a quo & Thema debeat repetere. 3) Voluit, ut subscribant scripto, cujus argumentum nesciunt. Nonne sic tota res Græcorum misere debet collabi, non sua sed Latinorum culpa?

Quid? quod nemo fere Principum est, qui Græcis ita consuluit, ut Veneti, qui a. 1569. legem fundamentalem Græcis concesserunt, legem inquam Decemviralem, qua permittitur Græcis, ut libere & in Ritu & in antiquis opinionibus vivant, nec a Tribunali Inquisitionis unquam perturbentur. Si in tanta Patriciorum multitudine pro sentiendi diversitate nonnulli principia Romana foveant & Græcos sustineant Romanis subjicere, mediis tum lenioribus & indirectis, tum directis, id non omnibus, id non Spiritui & Animæ Senatorum Republicanæ tribui potest. Alia tempora alias leges poscunt, & penes legislatorem est, dispicere, ne vi legislativa aliquid detrimenti capiat respublica. Quod si Principes Catholici e re sua esse judicant, Patriarchas terris suis præponere Catholicos, ut inter Lusitanos, in Indiis, Venetiis, factum, quid obstat, quo minus & Græcis Caput præponi queat, cum Summo Imperio conspirans. Quid id ad Romanos pertinet? Nihil sane. Cum Facca *lupus* vocatur, quem *Veneti in ovile Christi inducant*, si *altare profanum erigere*, si cathedram erroris & pestilentiæ constituere dicuntur, id profecto ab omni caritate alienum est, inque Venetos injurium.

Pro-

Provocat denique ad Ezech. c. XXXIII. 6. de speculatore gladium vidente venientem. Speculator eſt, qui jure ſpeculandi gaudet. Qui vero hoc jure deſtituitur, ſpeculatorem ſe aliis obtrudit. Gaudet enim in eos, qui ſibi ſunt ſubjecti, non gaudet in eos, qui extra eccleſiam. Qnid ad me, qui foris? Quantumvis itaque noſter caſus ſit complicatiſſimus, Græci tamen ſchismatici dici nequeunt. Refragatur ipſe Muazzo, Catholicus, MScto cit. verbis, quæ Latine reddita ita fluunt: „*Nunquam eccleſia Latina eo delapſa eſt, ut exitioſum iniret conſilium de Græcis in claſſem ſchismaticorum referendis, de excommunicandis ipſorum Patriarchis deque ſententia juridice ferenda, non eſſe cum dictis Patriarchis communicandum, nec obedientiam & jura eſſe præſtanda ipſorum gradui debita. Quin imo ipſi Summi Pontifices Græcos ſemper pro Catholicis habuere. Epiſcopos Orientis tanquam veros & legitimos Paſtores agnoverunt. Leo X. Brevi ad Græcos mandato, eos tanquam Catholicos ad Concilium Tridentinum invitavit. Gregorius XIII. ipſis tanquam veris & legitimis Patriarchis Brevia & Legatos miſit, quibus eos invitaret ad recipiendum Calendarium.*„ Papa itaque gaudet jure ſpeculatoris

toris in templa sui Patriarchatus, in alia vero templa origine tenus Græca eo non gaudet. (*)

§. 9.

Iſt primum Breve eſt, quod publici juris jam feceram. Profero nunc aliud, idque recentiſſimum, hujus anni 1763. ex quo mens Papæ clarius elucescit:

Dilectis Filiis Nobilibus Viris Duci & Reipublicæ Venetiarum Clemens P. P. XIII.

Dilecti Filii Nobiles Viri salutem &c. Ubi primum ad Nos allatum eſt factam a Senatu Veſtro

(*) Quam male, quam violenter procedat hoc ſpeculatoris officium, ex Actis probo: Archiepiſcopus *Zaræ* Græcum quendam ſacerdotem, boni odoris, *trimeſtri carcere* eo voluit adigere, ut fidem Romanam profiteretur, Literasque Patentes ab eo acciperet. Ecce ſpiritum perſecutionis, adhucdum redivivum! Officio ſacerdotis intruſit alium quendam, ſibi addictum, *vitæ lubricæ, diſſolutæ, ſocium perpetuum Latronum & prædonum.* Quem Græcorum non miſereat? Sic certe ipſi Latini cauſa ſunt perturbati eccleſiæ Græcæ ſtatus. Ne temere quid dicam, provoco ad ſcriptum: *Supplica preſentata in Collegio li* 4. *Agoſto* 1760. *dalli Deputati di Smocovich.*

ſtro Græcis iſthic commorantibus poteſtatem eligendi aliquem in Epiſcopum eosque Sacerdotem quemdam nomine Facea, qui ſacros Ordines in Schismate ſuſceperat futurum Epiſcopum deſignaſſe, zelo Domus Dei vehementer exarſimus, atque ea qua erga iſtam Patriam noſtram, ejusque Clariſſimos Cives incendimur Caritate, commoti cum Dilecto Filio Nob. Viro Equite Hieronimo Aſcanio Juſtiniano Veſtro apud Nos, & Apoſtolicam Sedem oratore, graviter ea de re conqueſti ſumus, & Senatui etiam Litteras dedimus quibus palam fecimus, quanta nos ceperit admiratio, cum veſtram Rempublicam videremus ab ea ſententia deſciviſſe, in qua nullo non tempore Majores veſtri conſtantiſſime permanſerant. Illi enim in Eccleſia Sancti Georgii, quæ in Inclita veſtra Venetiarum Urbe Pontificia auctoritate fuit erecta ſubjectaque immediatæ Apoſtolicæ ſedi, puritatem Catholicæ Fidei ſervari voluerant ſemper incolumem, & neceſſariam cum Eccleſia Romana communionem retineri; eamdemque Eccleſiam a Catholicis Capellanis gubernari, quos vel Apoſtolicus Nuncius, vel Patriarcha Venetiarum ad normam originariæ fundationis ut Catholicos probaviſſet,

viſſet, quod cum ex vetuſtioribus Decretis Anno 1534. & 1542. tum ex recentioribus a Veſtro Senatu editis Anno 1720. & 1721. luculentiſſime apparet. Ad has litteras noſtras reſponſum quidem tulimus die 22. Martii ſuperioris Anni, in quo non omnino Paſtoralis ſollicitudo noſtra potuit conquieſcere. Illud enim maxime deſiderabamus, ut confeſtim omne periculum amoveretur, in quo Catholicam Eccleſiam verſari videbamus, ne in eam Epiſcopus Schismaticus ſe ſe intruderet. Sed tamen nonnihil animo Noſtro tranquillitatis attulit data Nobis Senatus nomine fides, nunquam fore, ut a Majorum ſuorum ſententia recederet, tum etiam ipſius, quem Græci Epiſcopum elegerant, agendi ratio, qui poſtquam ſuſcepto prætenſæ conſecrationis munere Venetias rediit, nullam unquam Epiſcopalem jurisdictionem in Græcos ſibi uſurpaverat. Ea igitur ſpe nobis injecta falſo huic Paſtori, a Senatus religione, & fide cohibito, nunquam futuram in Jeſu Chriſti ovile introeundi copiam, ut veneno ſuo illius Gregis oves inficeret, patienter opportunum tempus expectandum exiſtimavimus, dum validiora, & Reipublicæ veſtræ rationibus apta adhiberi poſſent remedia, quæ om-

nino illi malo mederentur, quod in Ecclesiam S. Georgii eorum culpa & dubia fides invexerat, qui eam regunt & moderantur. Verum nullum, amplius silentio nostro relictum esse locum perspicimus, ac diutius si taceremus, summi Apostolatus a Christo Domino nobis commissi, proditores ipsi Nobis esse videremur. Ipsam quoque Patriam, quæ nobis carissima est, deserere & prodere existimaremur, si ab ejus gloriosissimis Civibus excitandis abstineremus, ut hujusmodi scandalum de medio tollant, quo tanta Veneto nomini macula inuratur, & Senatus religioni haud ita levis imponatur ignominia, si Populus schismaticum hominem videat Episcopum media in urbe Venetiarum, & in Catholicorum Ecclesia inter Græcos Reipublicæ subjectos se se jactare cum Episcopalibus insigniis, & eos, quos falso sibi subditos esse existimat, suo parere velit imperio. Quod spectaculum Nobilitatum vestrarum oculis, & omni Venetorum populo audax ille Presbyter Faccea superioribus diebus objecit. Episcopalibus enim indutus Insignibus solemniter & magna cum Pompa ad Ecclesiam S. Georgii se contulit, in Episcopali Cathedra assedit, & Clero, & Populo bene-

dictio-

dictionem impertiit, sacris functionibus præfuit, ejusque præsentia polluta est illius sacri Templi sanctitas, & in crimen adducta eorum pietas & religio, qui cum eo in divinis comunicaverant. Ita ne vero Senatus tantam abominationem ferendam existimaverit? An non in ejus animo flagrans retinendæ Orthodoxæ Fidei studium conscientiam illi momorderit? Itane illum præclaris Majorum suorum exemplis non commoveri? Quemquamne esse Venetiis, qui Schismati studeat? & in Summi Dei Templo prophanum Altare *Baal* locatum non illibenter videat? Vestrum profecto est, Dilecti Filii, Nobiles Viri tantum, tamque turpe scandalum amoliri, & occasionem omnem offensionis Catholicis Græcis imposterum amovere: vel enim gravissima se culpa obstrinxerint, si cum Episcopo Schismatico in divinis communicent, vel ab Ecclesia, ubi ille sacris operetur, debebunt quam longissime abesse. Neque Vos, Dilecti Filii, Nobiles Viri, in errorem adducat jactata superiorum temporum consuetudo. Probe enim nostis, semper adversus eam consuetudinem reclamasse Apostolicam sedem: Nostis quanta subinde scandala extiterint, quibus Senatus commotus

veteres Leges gravioribus Decretis in pristinum revocavit. Venetiis igitur, Urbe Religione, veræque pietatis studio inclyta Schisma in Ecclesia S. Georgii exultare, & hæresim propemodum triumphare nullo modo ferre possumus. Si qua vero ratio sit, qua inter Græcos caritas & pax constabiliri posse videatur, nobisque clare demonstrentur mala, quæ modo urgent, & quibus tandem remediis sanare possint, Nos eadem remedia ut adhibeantur, enixe operam dabimus; modo tamen Catholica communio servetur incolumis, longe absit schisma, & Facea schismaticus homo, & in schismate a Schismaticis Presbyter ordinatus, ab ea obedientia, quæ debetur Romano Pontifici alienissimus, & hæresibus, erroribusque Græcorum fœde imbutus longissime ab ecclesia arceatur. Alioquin auctoritas, quam a Christo Domino accepimus, ut Christiani Gregis oves ab ingruentibus lupis tueamur, adhibenda tandem nobis erit, & Catholicis Græcis cogemur edicere, ne in divinis cum sæpe memorato Pseudo Episcopo Facea communicent, si schismatis nolint participes fieri, & a Catholica Religione sejungi. Verum ipsi Vos, Dilecti Filii, Nobiles Viri, ad hoc malum sanandum

dum manum admoveatis oportet. Veſtra laus ſemper fuit prudentiæ, ſapientiæque ſumma & præcipua, nec dubitandum, ſi modo hujus virtutis neruos intendatis, quin rationem reperiatis Reipublicæ liberandæ ex iis incommodis, quæ a Græcis, non illis quidem Catholicis, Eccleſiæque ſimul, & Reipublicæ fideliſſimis, ſed a Schismaticis, & nullius Fidei hominibus illi evenere, & ſatisfaciendi veræ pietatis officio, cui profecto deeſſe videamini, niſi tantam inclitæ Reipublicæ veſtræ hærentem labem, & maculam eruatis. Quam quidem vos propediem abſterſuros in Domino confidimus, veſtra potiſſimum freti Religione, & ſapientia, Veſtrasque Nobilitates obteſtamur, & obſecramus, ut ab hoc graviſſimo negotio oculos ne dejiciatis, dum fædum ulcus hujusmodi omnino ſanetur, & cicatrix illi ſolide abducatur, ne forte, dum conſanuiſſe videatur, impoſterum recrudeſcat. Denique Nobilitatibus Veſtris, quas eximiæ caritatis paterno quodam ſenſu complectimur, Apoſtolicam benedictionem permanenter impertimur.

Datum Romæ &c. die 22. Januarii 1763. Pontificatus noſtri Anno quinto.

M. Angelus Jacomellus Secrt.

Demonſtrat 1) exarſiſſe ſe zelo domus Dei, quod *Facea*, qui ſacros ordines in ſchismate receperit, Græcis fuerit conceſſus. 2) Repetit jura Curiæ in templum *S. Georgii* jam ſuperius allata, nec hactenus novi quid addit, quod in priori Brevi non dixerit. Venetis aliud decretum Decemvirale opponit a 1721. 3) Literis a republica acceptis deſideraſſe ſe commonſtrat, ut confeſtim omne periculum amoveretur. 4) Acquieviſſe ſe fide a Venetis data, nunquam fore, ut a ſententia majorum recedant, & ipſius Epiſcopi agendi ratione permotum, qui ſuſcepta conſecratione ab omni jurisdictione Epiſcopali abſtinuerit. 5) Jam vero ſilentio locum amplius haud eſſe, cum Facea epiſcopalibus indutus inſignibus ſolenniter & magna cum pompa ad eccleſiam S. Georgii ſe contulit, in Cathedra epiſcopali conſedit, & Clero & populo benedictionem impertiit, ſacris functionibus præfuit, ſicque ſanctitatem templi polluit, reliquorum vero pietatem & religionem in diſcrimen adduxit. 6) Pungit conſcientiam Venetorum, ſchismaticum hominem ferentium, offert ſua conſilia ad mala ſananda, minatur, ſe iri coactum, Græcis Catholicis edicere, ne in divinis cum Facea

tea communicent, nisi a catholica religione velint sejungi.

§. 10.

De binis capitibus primo & secundo loco allatis jam satis, quod est, dixi. Ex fide tamen *actorum* debeo addere, *zelum domus Dei*, quo *exardet* Papa Clemens XIII. non fuisse zelum Episcoporum Illyricorum. Prætor enim *Mocenicus* in publicis ad Senatum literis Cal. Martii A. 1720. (in Act. n. 8.) eam nobis hujus *zeli* faciem sistit, quæ lacrymas excitet. Ita enim ille: *E ben degna di lagrime la maniera con cui procede la spiritual direzione ne' Greci sudditi*, i. e. Lacrymas excitat modus, quo incedit spiritualis Græcorum subditorum directio. *Li Sacerdoti Greci si fanno in certa maniera dipendenti da Prelati esteri, ed il Denaro, che tributano probabilmente per ricevere gli ordini sacri, passa non solo, mà rimane in alieni stati*, i. e. Græcorum Sacerdotes quodammodo Prælatis exteris se subjiciunt, nummique, quos probabili ratione pro ordinum sacrorum collatione erogant, in alienas transfunduntur ditiones. Si *zelus* hic culpas Græcorum proferat, refutat eas *Mocenicus*; *Le tante colpe, che vengono rifacciate da Prelati Latini*

a Greci, quali li accusano di ribattezzare i Latini prima di unirsi a Greci in matrimonio, di rader loro la pelle del fronte - - sono imposture, che da più e più anni si disseminano da nostri Prelati, l'animosità de' quali esclude intieramente quellà dissimulazione, che sola potrebbe promovere il progresso à dogmi della vera fede. i. e. Tot culpæ, quorum arguuntur Græci a Præsulibus Latinis, rebaptizare eos Latinos, antequam matrimonium cum Græcis ineant, radere ipsis frontem - - fraudes sunt, a nostris Prælatis sparsæ, quorum effervescentia ab omni dissimulatione aliena est, quæ sola, veram fidem posset promovere. *Quando i loro cuori zelassero veramente alla salute dell' anime, cercarebbero di non dar mano a certe animosità che sconcertano. - - Il maggior male io credo, che nasca dal vedersi da certo tempo collocati nella Sede Episcopale della Provincia alcuni del Collegio della Romagna.* i. e. Si animi ipsorum *zelo* animarum vere exardescerent, a modis violentis qui perturbant, non sanant, abstinerent. Maximum malum, credo equidem, inde nascitur, quod sedibus hisce Episcopalibus interdum Collegii Romani Alumni immittantur. Conf. *Dispaccio scritto al- Senato -* 1720.

da

da zara da-Mocenigo. Sed ut melius pateat, cujusnam generis ſit iſte zelus, affero documentum, quod in Actis n. 9. extat. Eſt illud Epiſtola ad Principem Venetum, quæ ita fluit: „Repugnant paupertati & conſcientiæ meæ, Theodoſii, Abbatis Monaſterii Krupenſis, & meæ Stephani, Vicarii Conventus Kerkenſis, Græci Ritus in Dalmatina Provincia, Sereniſſimi Noſtri Principis ſubditorum & ſervorum, injuriæ illæ, quas perpetuo a Præſulibus Latinis perferimus, contemta publica benevolentia toties publice in tot Decretis expresſa, quæ liberos nos volunt tum in ſpiritualibus noſtris exercitiis conſuetudinibusque antiquis, tum a quacunque moleſtia & obſtaculo. Zelus eos nimis fervidus animat ad augendas noſtras miſerias, putantque, ſine ipſorum forſan nimis moleſtis viſitationibus, literis Patentibus, & ſine prætenſa fidei profeſſione, nos Catholicos eſſe non poſſe neque Apoſtolicos & Orthodoxos, id quod tamen publice ſymbolo noſtro profitemur *effuſo* etiam noſtro *ſanguine*, ut ſubditos decet obſequioſiſſimos & ex religionis & ex obedientiæ capite. Triſtis nos angit memoria injuriarum, quas ante aliquod tempus a Præſulibus *Balbio & Urſino No-*

-*na* Episcopis, & *Bragadino* Scardonæ Præsule pertulimus, quæ nos ad publicam hancce epistolam adigunt, qua piam pro infaustis subditis invocamus clementiam, qui semper inter præterita & futura mala trepidant. Duo priores Balbius scilicet & Ursinus Nonæ Episcopi, epistolis suis annunciarunt, proxime se Conventum Kruppensem esse visitaturos, ut nos præpararemus, quo honorificentius eos exciperemus. Supplicavimus, interpellavimus, jura nostræ ecclesiæ demonstravimus, illi vero Equitibus stipati comparebant, *militari manu* visitationem extorsuri, qua ex re & perturbati sunt Calogerorum animi & maximum inde Conventui damnum enatum. Multi Sacerdotes, ut violentiam effugerent, in Austriacorum fines se receperunt, noctuque ignoti redierunt, exploraturi rerum suarum faciem, interdiu vero in illa montium juga se abdiderunt. Reliqui enim *carceribus* intrusi, Jaderamque perducti, ubi tanquam maximorum facinorum rei *catenis* onerati, per trimestre *triremibus* fuerunt addicti, ex quibus tandem via opportuna libertatem recuperarunt. Posterior vero Scardonæ Episcopus Kerkense cœnobium bis convenire sustinuit, cum magna se-

qua-

quacium copia & cum 12. militibus armatis, qui, nudato gladio, feroces in Cœnobium irrumpebant, ſed &, quod nunquam fuit auditum, temeritate quadam execranda ad Sancta Sanctorum usque pervaſerunt, profanatis hac ratione locis noſtris ſanctiſſimis. Acerbo hoc caſu occubuit Abb. Moſes, toleratis injuriis graviſſimis, & triremium pœna trimeſtri, & minis aliarum pœnarum quam is acerbiſſimarum, poſtquam triremibus jam fuit ſolutus. Alter etiam Abbas Pacumius, qui terrore percitus ad Auſtriacos tranſiit, poſt multos vero menſes redux, Kniniæ fuit detentus, & feloniæ reus, & ipſe triremibus fuit addictus, condemnatus poſtea ad captivitatem 18. menſium, ex qua tandem viis opportunis ſe liberavit. Sic injuriæ, violentiæ, opprobria, quæ ex hoc Præſulum zelo fluunt, Cœnobia premunt, Sacerdotes premunt, fideles premunt. Optime nobis publica charitas conſuluit, abrogato quodam Decreto, ante aliquod tempus publice impreſſo, quod nobis tres conditiones easque intolerabiles injunxit, Viſitationem ſc. Literas ab Epp. Latt. patentes, fideique profeſſionem. Quæ tria Capita cum fortiſſima deprehendere queant præſidia, ad pedes Sereniſſimi Noſtri

Prin-

Principis proſtrati ſupplicamus, ut pro pietate erga ſubditos miſerias noſtras provido Decreto levet, quod nos a prætenſa jurisdictione, a conditionibus prædictis, ab injuriis liberet, quæ orthodoxiæ noſtræ inferuntur, noſtroque obſequio, quod conſtanter & quovis tempore in Clementiſſimum Noſtrum Principem ſervamus, a quo Libertatem anxie petitam exſpectamus. V. *Supplica preſentata in Collegio, li 26. Agoſto* 1760. En exactiones Cleri Latini! *Cum ſuſpiriis & ſingultibus præteritam benevolam ſortem ſibi in mentem revocant, qua, Prætore Exc. Franciſco Grimanio* fuerant uſi, qui *moleſtias* eorum *ſanavit, quas conſilia inimicorum male ſana* ipſis *intulerant.* V. in Act. n. 13. quæ verba ſunt formalia.

§. 11.

Speraſſe ſe, Papa tertio loco profitetur, confeſtim advolaturam eſſe Rempublicam ad omne amovendum periculum. At cum periculum in mora non eſſet, Reſpublica ea facie rem reliquit, qua prius erat. Non enim tam levi animo in id conſilii deſcendit, ut Caput Græcis daret. Contra dignitatem enim Summi Imperantis ageret, qui quæ ſemel pro Majeſtate ſtatuit, ea ſtatim anti-

antiquaret. Quem tolerat Princeps, non temere tolerat. Tolerantia ideo religionum bene dividitur in civilem & ecclesiasticam, (*) illa vero est vel plena vel restricta. Plena gaudere Græcos Venetiis, apparet ex plena relatione ad politiam tum quoad jura tum quoad privilegia. Plena gaudere ecclesiastica, ex publico cultu cum annexis patet. Restrictam eam esse Papa affirmat, qui tolerandos eos negat, nisi Romanam fidem profitentes. An tolerantia hæc ex lege ipsis debeatur a Principe lata, quæstio est altioris sphæræ, & jam supra attulimus legem religiosam, quæ libertates Græcorum munit. *Gratiosa* itaque ideo poterit appellari, quia ex gratia principis sacrorum faciendorum jus habent, adeoque & *privilegiata*, quo

(*) Conf. b. *Pfaffii diss. de zizaniis non evellendis*, qui de tolerantia hac ad statum Germaniæ adplicabili multa eaque gravia affert argumenta contra Bannizam. Conf. etiam Autor libri Gallici: Liberté de conscience, resserrée dans des legitimes bornes. T. III. Londres 1754. cujus vero principia hinc inde lubrica sunt, adeoque cum grano salis legenda.

quo Privilegio Germani Protestantes Rhætique (*) Reformati carent, quibus exercitium non nisi domesticum fuit indultum. Jam cum Græci lege Veneta Episcopum sibi elegerint, lex maturis scrutiniis ponderata, confestim revocanda non erat, ne altera manu Græcis auferretur, quod altera fuit datum. Præscindo equidem a persona.

§. 12.

Quartum & *quintum* argumentum Venetis objectum in fide a Venetis data versatur, nunquam fore, ut a sententia majorum recedant. Id vero est, de quo minime agebatur. In quæstione de jure Principis *tolerandi dissentientes* non quæritur, quid ipse sentiat, potest enim religioni utrivis esse addictus vel Catholicæ vel Protestantium, sed quæritur, an jus penes eum resideat, tolerandi heterodoxos, qui publica emolumenta juvant, id quod negari nequit. (*) Nam licet falsa sit thesis,

(*) Qui ex sola urbe Veneta ad suos ex lucro annuo referunt 40. amplius millia aureorum.

(*) Fuerunt Græci, ritus maxime Slavici, qui præteritis bellis multum Venetos juverunt. Hinc & a. 1718. Dux *Cornelius* incolis Castelli Novi (Castel nuovo) indulsit, che possano vivere

ſis, crude propoſita, cujus eſt regio, illius eſt religio, contra quam plura monet laud. Pfaffius l. c. p. 18. eo ſenſu tamen vera eſt, cujus eſt regio, adeoque qui jure territoriali Majeſtatico gaudet, illius quoad tolerantiam etiam eſt religio. Et quid de jure reformandi ſentiat Pfaffius, p. 19. oſtendit, cavere ſc. ſecundum illud Principem, inſpectione generali, ne in eccleſia, quæ ſub ipſius ditione eſt, agatur quicquam, quod ſaluti publicæ ſit contrarium. Jam cum in eccleſia Græca, fatente Papa, omnia fuerint quam maxime perturbata, Principis erat diſpicere, ne ex ea confuſione reipublicæ detrimenti quid ſubnaſcatur, id quod religioni dominanti ne hilum quidem detrahit. *Quinto* capite id Papam quam maxime ferit, quod Facea feſtis Natalibus prioris anni epiſcopalibus indutus inſignibus ſolenniter & magna

cum

vivere nel loro Rito Greco Slaviano come ſono ad ora viſſuti, ſenza eſſer da chi ſi ſia moleſtati, potendo anche reſtaurare le loro chieſe e monaſterii, i. e. ut in Ritu Græco Slavico libere poſſint vivere, quo adhuc vixere, nulla ipſis illata moleſtia, reſtauratis etiam templis & monaſteriis, in Actis n. 15.

cum pompa ad ecclesiam S. Georgii se contulerit, in cathedra Episcopali consederit, Episcopumque se vere gesserit. An templi sanctitas eo actu fuerit polluta, dubia est quæstio, quam si absolute consideraveris, ex doctrina Protestantium negaveris, si respective, ex jure Canonico judicium fieri debet, adéoque huc omnes effectus quadrant, quos jus Canonicum de Sanctitate templi inhæsiva refert. Neque in primitiva ecclesia de templorum sanctitate aliquid fuit somniatum, in qua ne templa quidem fuerunt, quæ sequioribus demum sæculis originem debent, hinc & primis ecclesiæ sæculis dogma hoc de singulari templorum sanctitate non inveneris, plura vero circa Constantini M. tempora. Conf. Bœhmeri I. P. Sect. V. c. 1. §. 3. Religionem vero dominantem in discrimen adduci, nam & hoc veretur Papa, formido est superflua, cujus jura extra teli jactum sunt posita. Omnia enim ad quæstionem de jure tolerandi dissentientes reducuntur, quod ad sapientiam Principis practicam & justitiam universalem pertinet. La sagesse pratique, inquit Cumberland in traité philos. des loix naturelles p. 410. consiste dans l'art de se proposer une fin ou un effet,

qui

qui soit naturellement digne de nos soins, & de choisir & appliquer ensuite convenablement les mojens, qui ont une efficace naturelle pour produire cet effet. La justice meme, qu'on appelle universelle, ne signifie autre chose, qu'une volonté constante, parfaitement d'accord avec cette sorte de sagesse, qui se propose *le plus grand & le plus excellent de tous les effets, savoir le bien commun.*

§. 13.

Sextum caput est, quo conscientia Venetorum pungitur, ne schismaticum tolerent. *An non* inquit Breve, *in ejus (senatus) animo flagrans retinendæ orthodoxæ fidei studium conscientiam illi momorderit?* Sic quidem lenissima ratione Pastoris officio fungitur, & ad conscientiam Senatorum loquitur. An schismaticus in genere, schismatis forma legali convictus, schismatis, inquam, eo sensu intellecti, quod unitatem cum capite Romano non agnoscit, in Christiana Republica ferri possit, id ex jure summorum Imperantium debet derivari. *Noodtius* de libertate conscientiæ p. 109. ex jure Naturæ solide demonstrat, nemini jus esse, alios ad

religionem adſtringendi, quam non probant, aut ad abjurandam eam adigendi, quam bonam cenſent. *Non eſt opus vi & injuria, quia religio cogi non poteſt. Verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſic voluntas dvſtringatur.* Lactant. L. V. c. XIX. Conf. quam maxime Cel. *Iuſti*, in Natur und Weſen der Staaten Sect. IV. de legibus religionis §. 214. 215. ubi docet, quosvis cives religionis diverſæ ex principiis ſuæ religionis deberi judicari, allegato memorabili Regis Boruſſorum Decreto. Ex principiis itaque generalibus Venetis jus eſt, ſchiſmaticum ferendi. Alia eſt judicandi methodus, an Individuum quoddam, v. gr. ſit Facea Schiſmaticus, qui unitatem ſuæ eccleſiæ turbarit, quod judicium Græcis ipſis relinquo. Græcos vero Venetos omnes Schiſmaticos appellare, vix ferendum videtur Græcis. Tota enim eccleſia nunquam ſe Papæ ſubmiſit, qua per Venetum dominium patet. Nec ſunt ex numero unitorum quod & inde apparet, in Miſſæ ſolennibus Papæ nomen non commemorari. Multi quippe Græci, qui jam Venetiis morantur, ex Cypro & Creta eo pervenerunt: At vero uti in patria cum eccleſia Romana uniti haud erant, ita

nec

nec adhucdum uniti dici queunt. (*) Negari nequit, dari inter Græcos, uti inter omnes Nationes, lucri cupidos, qui Papæ partibus lucri spe facile se addicunt, si vero in patriam redeunt, antiquas recolunt opiniones. Pontifici Romano jus denegari nequit, Græcis Catholicis dicendi, ne in divinis cum *Facea* communicent, nisi a Catholica religione velint sejungi. Sed supponit Græcos Catholico-Romanos, quod vero negatur ab ipsis Græcis. In ipso templo factum quidem est, ut cum accederet Facea sacra facturus, nonnulli, qui ipsius non erant partium, communionem cum eo reformidarint, non vero ob fulmen Romanum, sed Constantinopolitanum: Hoc ad alterum Breve monendum censui.

§. 14.

Accedo nunc ad tertium.

Di-

(*) Quæratur ex illis, quid unionis eis cum ecclesia Romana intercesserit: unanimi consensu illi respondebunt cum omnibus *Cephalonia*, *Corcyra*, *Cythera* insulis, venerari se quidem in universali ecclesia Latinos, sed cum Latina ecclesia ne minimam quidem habere communionem. Muazzo l. c.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci & Reipublicæ Venetiarum.

Clemens P. P. XIII. *Dilecti Filii*, Nobiles Viri, *Salutem* & Apostolicam Benedictionem. Scripsimus ante hos tres menses Nobilitatibus vestris de Sacerdote illo Facea, quem sacris Ordinibus in Schismate initiatum, ac propterea ab omnibus Catholicorum Ecclesiis excludendum, absterrendumque, Græci isthic commorantes Episcopum sibi designarunt, & Populus Venetus universus in Catholica S. Georgii ecclesia Episcopalibus ornatum insignibus, vidit in Episcopali Cathedra considere, sacris functionibus præesse, Populo Episcopalem benedictionem impertiri, quod quidem tam fœdum spectaculum sine magna offensione Catholici neque oculis cernere, nec animo tolerare potuerunt. Ex illo tempore magno adhuc sumus in desiderio literarum vestrarum, quibus expectandis integri longitudinem anni nobis videtur habere dies unus. Sed hujus desiderii stimulos retundebat illa cogitatio, vestro Senatui satis temporis dandum esse, quo ea prudentia, qua constat inter omnes, illum maxime excellere, apta rationibus vestræ Reipublicæ, & ad tollendum hoc malum

malum efficaciſſima conſilia caperet. Luctus denique veſter conſequutus eſt, uno, ex Luminibus Civitatis, proxime extincto Duce Reipublicæ, animosque veſtros in novo creando totos fuiſſe oportuit. Nunc vero cum ad Civem egregium ampliſſimis muneribus magna cum laude perfunctum, & haud ita pridem apud nos gravibus quibusdam veſtris negotiis e ſententia confectis de Patria optime meritum, Summo illo honore delato, veſtræ Reipublicæ abunde ſatisfeciſſe videmini, urget nos Apoſtolici noſtri Muneris ratio, ut poſtquam quisque veſtrum, quod Patriæ debebatis officium, impleviſtis, nunc ad ſatisfaciendum Catholicæ Religioni cogitationes veſtras denique revocemus. Summa vero hujus negotii & totius deliberationis veſtræ huc tandem redit: videaturne Senatui ſchismaticum Sacerdotem Faceam iſthic apud vos Epiſcopum in Eccleſia S. Georgii tolerari poſſe: deinde Catholicam nec ne illam Eccleſiam eſſe debere; & ſi quidem Catholica eſſe debeat, talemne habendam eſſe, dum omnis cum Apoſtolica Sede communionis expers, illius auctoritatem reſpuat, & aſpernetur jurisdictionem; poſtremo Catholicosne cenſendos eſſe illius Eccleſiæ Cappellanos,

lanos, qui inani illius Pseudo Episcopi subjiciantur jurisdictioni; qui Romanæ Cathedræ auctoritatem ejusque in universa Ecclesia majestatem non recognoscant, qui nec probatam fidei formulam sint professi, nec apud Legitimos Superiores sic animi sui sensus aperuerint, ut certo constet eos sanam, & Catholicam Doctrinam sequi. Hæc, dilecti Filii, Nobiles Viri, & nobis unice Cari in hanc vestram deliberationem cadunt. Facit egregia sapientia vestra, & admiranda quædam in omnibus rebus Veneti Senatus prudentia, ut pro certo habeamus, si paululum ad hanc rem vestrum animum adjiciatis, vos illico perspecturos, quid Dei honor, quid vestra Religio, & in hanc sacram B. Petri Sedem præclara devotio, quid vestra dignitas, & Veneti Nominis splendor a vobis efflagitet; Deum in humilitate cordis nostri impensissima prece rogantes, ut in animos vestros injiciat ea consilia, quæ cum vestra congruant egregia religione & sapientia, & ad ea quam maturrime capessenda Divina Providentia Numine Suo permoveat. Vobis, Dilecti Filii, Nobiles Viri, omni pietatis erga carissimam patriam nostram, & in vos universos Paternæ Caritatis Sensu Apostolicam

licam Benedictionem permanenter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem ſub annulo Piſcatoris die 30. Aprilis 1763. Pontificatus noſtri anno V.

Per trimeſtre expectavit Papa Venetorum reſponſum. At ingruente luctu publico, immortali Fuſcareno vivis erepto, patriæ conſulendum cenſuere Patres conſcripti. Jam electo Mocenigo inque thronum Ducalem ſuffecto curas de religione Catholica revocat, & ſummam negotii & deliberationis huc redire cenſet. 1. Videaturne Senatui, Schiſmaticum ſacerdotem Faceam ferri poſſe. Nervum reſpondendi jam ſupra tetigimus. 2. Catholica nec ne illa eccleſia eſſe debeat. Hoc arcem cauſæ eſt tangere. Catholicam eam eſſe in genere, non nego, non vero Catholico-Romanam, quia conſuetudines Romanas ſibi obtrudi nolunt Græci. Si Catholicum non eſſe velit Senatus, tolerat cultum publicum a religione dominante diſſentientem, cum jure proceſſionum, campanarum monaſteriorum, Lycei &c. Quod quid mali? Quis Principi vitio vertat, fidem cujusdam Nationis, toties maſcule & fuſo ſanguine demonſtratam ita remunerari, ut cultu publico gaudeat religioſo?

ligioso? Tum maxime, cum statum tantum abest, ut turbet, ut potius ad quietem internam multum conferat. Dubitavi ego quidem, an Græci cultum *adorationis* revera præstent Hostiæ per plateas circumgestatæ. At dubium mihi eximit cit. Muazzo, qui l. c. ita: *Hic, Venetiis, qui degunt Græci, Patavii vero Juvenes Studiosi in Latinorum templis sanctissimo sacrificio Altaris genu flexo cultum præstant, Missæ Latinorum, si desit Græca, auscultant, idem faciunt Græci ex Insulis Archipelagi prognati, Albaniæ Dalmatiæque incolæ Græci, qui in Italia stipendia merentur. Porro in Latinorum templis exposito sacrificio, accurrunt. Quomodo itaque Græci negent, Latinos Sacramentum facere, dum id* ADORANT. Si Catholicam Romanam esse hanc ecclesiam concedit Senatus, Papa, quod vult, habet, tum jus Papale & Patriarchale & Nunciaturæ in eam exerceri jubebit. Quæ jura ecclesia Græca toto pectore deprecatur. Recte itaque argumentatur Breve: *Si Catholica esse debeat ecclesia*, an talis habenda sit, *dum omnis cum Romana sede communionis expers, illius auctoritatem respuat & aspernetur jurisdictionem?* Id vero non omne a Venetis pendet, sed ab ipsa

Græ-

Græcorum indole, qui Conciliorum Canonibus insistunt, & Patriarchatus inter se distinguunt. Armenii in ecclesia Orientali hæretici fere sunt, quos tamen Venetiis templo proprio & sacerdotibus contribulibus nunc non gaudere, in aprico est, sed penitus se ritibus ecclesiæ Romanæ conformant. Negari de cætero non poterit *incredibilis illa Pontificum indulgentia in hos, quos ex Græcis & reliquis Orientis Christianis adoptant filios. Nec enim tantum eos patiantur ritibus majorum a Romanorum ritu alienissimis rem divinam facere*, docente Moshemio in H. E. Sec. XVI. p. 732. *moribusque vivere inter Latinos invisis, verum etiam ne illa quidem dogmata, per quæ ab omnibus christianis sejuncti sunt, ex libris eorum publicis tolli jubent.* (*) *Satis bonus Romanæ ecclesiæ civis Græcus, Armenus, Coptus vulgo, nisi prorsus fallimur, Romæ putatur, qui Supremum* Antistitis Romani *in universam Civitatem Christianam imperium in dubium haud revocavit, sed profitetur.* „ Quamvis igitur

(*) Quod fatetur ipse Præsul Assemanus, libros Armenorum Romæ impressos non satis ab erroribus Nationis esse purgatos.

igitur nonnulli Græci vel centies dicantur Latinizantes, auram Romanam Romæ captant, Asiaticam in Asia.

§. 15.

Tertio quærit Breve, *an Catholici sint censendi ejusdem ecclesiæ Capellani, qui Episcopi Facex jurisdictioni subjiciantur, qui Romanæ Cathedræ auctoritatem ejusque in universa ecclesia majestatem non recognoscant, qui nec probatam fidei formulam sint professi, nec apud legitimos superiores sic animi sui sensa aperuerint, ut certo constet, eos sanam & catholicam doctrinam sequi.* Alio loco, in diss. de stat. pr. eccles. Gr. in Dalm. §. 25. n. 60. jam monui Græcos Latinos seu unitos quippe non nisi symbolo Apostolico ac Concilio Florentino adstringi. At constat, quem exitum habuerit Synodus Florentina, & quem virum se præstiterit Marcus Ephesius, *cujus anima procul dubio quiescit in pace,* docente Dn. D. *Kiesling* in hist. concert. Græc. & Lat. de transsubst. p. 212. Marcus quippe Ephesius Constantinopolin redux Literis ad tres Orientis Patriarchas scriptis eos admonuit, falsam in Synodo Florentina initam unionem validam non amplius esse habendam, quia Episcopi Græcorum

minis

minis & vi ad subscriptionem fuerint adacti. Quapropter nec *Leo Allatius* de consensione eccl. Græc. cum Lat. L. III. c. IV. nec *Pallavicinus* diffitentur, tres hosce Patriarchas literas Synodales contra Metrophanem Patriarcham Constantinopolitanum & ipsum Imperatorem scripsisse, anathema denunciantes, nisi a firmanda hac unione desisteret. Demortuis vero tum Imperatore tum Patriarcha, Imperator Constantinus Palæologus in æde Sophiæ convocavit Synodum, qua Acta Henotica Concilii Florentini fuerant damnata, & unio Florentina prorsus abrogata. Puriores itaque Græci, qui religioni bene cupiunt, concilium hoc penitus aversantur, ut vel sola ejus recordatio odium excitet sempiternum. Quomodo genuini Græci Capellani huic unioni possunt adstipulari? Satius itaque est, eos suo abundare genio. Si quid enim mali in ecclesiam Græcam irrepsit, a Græcis Latinizantibus non vero orthodoxis & Marci Ephesii asseclis erit derivandum. Et dic sodes, quis Græcos adigat, nisi animas venales lucri aperti spes, ut Romanæ Cathedræ in universa ecclesia agnoscant Majestatem. Nec in hac re peccare Græcos, vel ipsi saniores Catholici agnoscent, qui a Majestate hac,

non

non nisi Regibus debita, ab omnibus Romanorum moliminibus immuni, intimo corde abhorrent. Pontifices quippe, qui olim publice se Reges & Sacerdotes gessere, (*) ne hodie quidem a Jure hoc regio avelli se patiuntur, quod si ad proprios Status restringatur, non est, cur simus justo morosiores, at si Majestatem ultra fines suburbicariæ Provinciæ extenderint, in qua origine tenus episcopalem quidem jurisdictionem, non vero Majestatem habuerunt, id ecclesiam, id principes, id probos omnes male habet. Quod vero Capellani Græci apud legitimos Superiores, Nuncium, Patriarcham &c. fidei formulam non sint professi, id petitio principii est & antiqua crambe vel millies recocta, quæ nunquam erit ad palatum Græcorum. Si olim unioni Florentinæ subscripsere, contra Synodum Constantinopolitanam imperante Constantino Palæologo coactam fecerunt, sed si male olim, an & nunc male facient Capellani,

(*) Vid. numus Papæ Julii III. in nova ed. Concilii Trid. Sarpiani, quæ inscriptionem habet: *D. Julius III. Reipublicæ Christianæ Rex ac Pater.*

lani, quos habent, inter quos eruditus D. *Milia* obsequio & veneratione mea est dignissimus, cujus Catechismum nuperrime pro ecclesiis Græcis editum quam maxime commendo, ex quo mens hujus ecclesiæ in dogmatibus optime potest dijudicari. Romæ vero res ita censetur explorata, ut ne possibile quidem autument, confessionem hanc non fieri. Memini, me cum Abb. Colinello, viro erudito, meique amantissimo, Reginæ Hispaniarum viduæ a negotiis, Romæ colloquentem negare, neque Episcopum neque Capellanos hanc facturos esse professionem, cui afferto præsentibus Viris quam gravissimis constanter contradixit, dum literarum Venetarum fide eum ad oculum convicerim, rem aliter se habere, ac censebat.

§. 16.

Pertractatis controversiæ cum Sede Romana capitibus, demonstrandum est rei momentum, quod nullibi distinctius, quam in scripto explicatur, cui in Act. n. 22. titulus est: *Informazione degl' Illmi ed. Eccmi Sig. V. Savii alla Mercanzia in proposito di Greci* 1751. Quæritur in hac informatione, 1) an æqualis olim fuerit Navium & Incolarum ad Venetos confluxus; 2) quibusnam prærogativis

ratione

ratione commercii & Ritus fuerint usi, 3) quænam invitationes & commoda Græcis tum *Tergesti*, tum *Anconæ* fuerint oblata; 4) quis invitationum harum fuerit fructus? Ex quæstionibus propositis jam patet, Græcos, conscientiæ libertate privos, aliorsum vel ad Austriacos vel ad Anconitanos vel ad Liburnenses deflectere, id quod reipublicæ multum detrahit. Omnes olim Græci ex Caramania, Patmo, Morea ad Venetos confluebant: jam vero paucissimi eo tendunt, sed ad Tergestinos potius deflectunt, oleum maxime Græcum eo portantes, ubi singularibus gaudent prærogativis, Consule quippe, libero religionis exercitio, largitionibus, collectis pro æde sacra, ubi Episcopus Græcus resideat. His escis allecti Græci, qui Venetiis olim quadringentos amplius suffragantes in S. Georgii ecclesia habuerant, jam vix septuaginta habent. Id ad primam quæstionem responsi loco sufficiat. Secunda quæstio ita debet resolvi, ut ex historia demonstretur, quantum olim Veneti in Commercio Orientali reliquis præstiterint. Transiit illa gloria, cum publicis impensis naves mercatorias Constantinopolin, inque Ægypti & Syriæ litora mitterent. Expugnata a Græcis Constantinopoli,

nopoli, novum Byzantium Græci Venetiis quærebant, referente Petro *Justiniano* in hist. L. VI. Eo tandem floris excrevit commercium cum Græcis, ut invidiam moveret Papæ Julio II. qui funestam contra Venetos movit unionem Europæ Principum. At quia Venetiis tum temporis morabantur opulentissimi, non toto inde potitus est fructu Julius II. quem moliebatur, sed pergebant Græci, apportare producta Orientis, efferre Venetorum merces. Quo vero magis attraheret Græcos sibique adjungeret peritus Venetorum Respublica, vinculum liberi religionis exercitii addidit, permissa a. 1470. æde publica S. Blasii. Post Concilii Florentini tempora frequentiores etiam confluxere Græci, stipendia quoque publica S. Marci merentes. Animum id addidit Græcis, ut ædem publicam, propriis sumtibus exstruendam, S. Georgio sacram peterent, & a. 1511. obtinerent, indulgente etiam Leone X. Bulla a. 1514, (quo tempore Lutherus nondum innotuerat,) ut & ædem sacram excitarent, & Græcum sacerdotem sibi pro lubitu eligerent, immunem a quovis Latinorum molimine, solutis annuis 5. libris ceræ, quæ vero nunquam fuerunt solutæ, id quod, ut Græcos

ad-

adliceret, a. 1521. omnibus Græcis indulsit, & Clemens VII. a. 1526. confirmavit. Mens animusque Papæ erat, insistere unioni Florentinæ, sicque Græcos ab omni suspicione liberos ad Catholicos advocare. Id e re Venetorum erat, qui lubenter consensere, ut a. 1527. primum sibi capellanum libere eligerent. Crescente Græcorum numero, a. 1534. duos sibi præficiebant capellanos. At serpente tum temporis per Helvetiam Reformatione caverunt tum Papæ tum Veneti, ne per Græcos Lutheranismus introducatur, ideoque edicto decemvirali sanxerant, ut Papæ Græcorum sint Catholici boni nominis, Nationique grati, Catholica vero orthodoxia aut a Patriarcha aut a Nuncio probetur. Quid gratius Papæ? Id erat Græcos, vel per indirectum Papæ subdere. At Græci restiterant constantissime, neque in sequentibus annis 180. ullum vestigium sive Examinis sive adprobationis exstat. Quin imo Græcorum Concilia tum Moldaviense tum Hierosolymitanum, quibus a Lutheri partibus sese secedere demonstrabant, Catholico - Romanis, quorum multa in illis pars erat, erant desideratissima. Accessit etiam indulgentia Pauli IV. qui denuo Græcorum disciplinam a

juris-

jurisdictione Latinorum liberavit, quapropter & decreta Venetorum publica accessere. Conf. *Sarpii* discursus de Inqnis. n. 25. Frequentiores indies confluebant Græci, ideoque a. 1578. facultas ipsis concessa, eligendi Episcopum, qui primus erat Celeberr. *Gabriel Severus*, cui Respublica dignitatem Archiepiscopi Philadelphiensis & stipendium 15. aureorum singulis mensibus addidit. Investituræ Bullas mittebat Patriarcha Constantinopolitanus, quibus Collegium auctoritatem assensu suo confirmavit. Inter hasce Bullas Patriarchales Bulla extat A. 1644. qua Archiepiscopus iste jus mitræ, jus Exarchæ seu Vicarii, jus dirimendi lites ecclesiasticas fuit adeptus. Ut vero rite ordinaretur, advocati sunt A. 1658. tres Græci Episcopi, qui Exarcham *Cortazzinum* consecrarent, cui *Tipaldus* successit, vir Græcæ Nationi quam maxime periculosus & Papalis auræ clandestinus assertor & assecla, qui non nisi a duobus Episcopis fuit consecratus. Sic sedes Græcorum tum quoad religionem tum quoad commercia evasere Venetiæ. At *Tipaldus*, aureis Romanorum montibus inescatus, Purpuræ Romanæ, instar *Bessarionis*, inhians, res Græcorum misere perturbavit, qua de re valde gau-

debant Papæ, qui & Græcos Anconam volebant attrahere, ideoque Tipaldo, si rem effectui daret, blandissima quævis verba dabant. Ille Capellanos in ecclesiam immittere noluit, nisi examinatos antea & approbatos a Patriarcha Catholico Romano. En vim pollicitationum Romanarum? Decretum ille etiam publicum A. 1708. extorsit, Græcis perquam funestum. Applaudebant Episcopi Romani, Græcos hinc inde misere torquebant, formulas jurandas proponebant, a Græcorum fide alienissimas, qui, modo symbolum Apostolorum jurent, sponte admittuntur. Sic cessavit & exspiravit dignitas Archiepiscopi, sic Bullæ Patriarchales Constantinopolitanæ siluere, sic Respublica jure suo patronatus excidit. Episcopi Latini Capellanis aliisque Sacerdotibus Græcis non quidem Symbolum Nicænum, sed formulas ab ipsis inventas, jurandas proposuere, publicæ Inspectioni ignotas, dum constans est Reipublicæ mens, ut *unusquisque servet morem ecclesiæ suæ.* Sic alienati Græcorum mentes. Sic Legata lucrosa non Venetiis, sed ecclesiis *Janinæ*, *Montis Sancti*, *Hierosolymæ* dicant. Ecclesia vero Græca, quæ Venetiis extat, mediam quandam formam assumi dicitur, ut neque

que Latina sit, neque Græca, quæ reliquos Græcos multum ab ea absterret. Abiere multæ familiæ, Tergestinos, Anconitanos præferebant. Est adhucdum quædam *formula*, impressa in Collegio Romano de propaganda fide A. 1671. pro Asiæ Græcis, qui Arii & Macedonii hæresibus essent infecti, non vero pro Græcis Europæis & omnibus subjectis vel Patriarchæ Novæ Romæ vel Alexandriæ vel Antiochiæ, hinc nec Venetiis locus formulæ datus, licet denuo A. 1720. lege sanxerint Decemviri, ut Græcorum Capellani de Catholica fide examinentur & adprobentur. Hisce Latinorum moliminibus decrevit Græcorum numerus inter Venetos, & complures ad Liburnenses se contulere, ubi a Familia Medicæorum benevole fuerunt suscepti: nam & *Liburni* morantur Græci Schismatici, referente ad me literis privatis Cl. Dn. M. *Breyero*, amico suavissimo. Græci interim a Veneta urbe alienati, Anconam confluebant, ubi P. Benedictus XIV. consiliis Julii II. insistendo, plus etiam hoc præstitit. Veneti vero plures Græcos alunt, quam vel Austriaci vel Romani, &, si vellent, facile attrahere eos possent, omnes. Linea enim prima Candiensis, pace A. 1669. termi-

 nos

nos terræ Venetæ præscribens paucorum erat milliarium. Sed vastior evasit & magis protensa terris occupatis pace Carolovicensi A. 1698. & numerus subditorum mirum in modum crevit post pacem Passarovicensem 1718. Solus Episcopus *Savadia* 700. amplius familias ex Turcarum Imperio ad Venetos transduxit. Quo libentius vero ad Venetos se reciperent, inde ab A. 1722. usque ad A. 1762. de Capite Græcis dando fuit deliberatum, quod tandem concessum, schisma inter Græcos denuo excitavit. (*)

(*) Quantam bilem contra Græcos alant nonnulli Romani, jam occasione Poloniæ patuit, ubi Græci Uniti sub Metropolita *Velamio* a Rege impetrarunt, ut Schismaticos quovis modo ad fidem Catholicam adigerent. Res ad Urbanum VIII. delata, in cujus Consistorio nescio quis libere profatus est: *sermonem esse de fide divina, libertatem Græcis esse permittendam, ab omni violentia, quin & a minima specie ejusdem abstinendum, in libertate esse relinquendos, bonis exemplis esse convincendos.* Conf. *Bertoli*, Consultoris, *Allegatio in Jure* n. 23. in Act.



CAPVT



CAPUT II.

Quo Acta Patriarchæ Constantinopolitani pertractantur.

§. 17.

Id quidem negotii, quod adhuc pertractavimus, tantum difficultatis secum non ferret, nisi alia supervenisset quæstio, a Patriarcha Constantinopolitano mota, quæ difficilioris est judicii. Ut vero fides dictis constet, primum documentum affero Constantinopolitanum, ubi Græci Patriarcham venerabantur *Joannichium*, hoc anno throno suo detrusum. Ex iis, quæ iste ad Græcos Venetos perscripsit, summam eorum, quæ Constantinopoli fuerunt acta, perspicies. Utor Copia ex authentica epistola Patriarchæ ad Protopapam Corcyrensem ad me transmissa, quam Latine verbum verbo ita reddo:

„Joannichius, ex misericordia divina Archiepisco-
„pus Constantinopolis, Novæ Romæ, &
„Oecumenicus Patriarcha.

„Reverendissime Protopapa Insulæ a Deo con-
„servatæ Corcyræ, reliquique reverendi Sacerdotes

„ & sancti Monachi & honorandi Cives atque Mer„ catores, incolæ illius Insulæ, Filii in Domino di„ lecti a nostra mediocritate. Gratia sit in Vobis „ omnibus & pax a Deo atque a nobis benedictio „ & remissio.

„ Uti absque dubio omnes partes referuntur „ ad totum, & membra ad Caput, ut conserven„ tur, sine qua unione fieri nequit, ut quidquam „ conficiatur, quod perfectione absoluta gaudeat: „ sic pariter, qui Sacerdotalem & Episcopalem ar„ ripiunt dignitatem, intra terminos limitesque re„ stringendi sunt, quibus Patriarchalis dignitas & „ Pontificia excelsitas definitur. Necessaria itaque „ eorum est obligatio, ut sibi bene prospiciant & „ obsequentes sese gerant, ut ne gratia, ex eadem „ promanante, priventur, quæ gratia exinde tan„ quam ex fonte, principio & capite fluit, cum fa„ cultate Spiritus Sancti efficaci, quæ a sanctis Apo„ stolis subsequenti tempore pastoribus, eorum suc„ cessoribus, fuit collata, iis quippe, qui in Deo „ rite consecrati sunt, ut ad amussim Canonum, „ Christiano gregi pastores præponant, quem in „ finem inferior semper a superiore benedictionem „ accipit. „

§. 18.

§. 18.

In formula hac benedictionis Patriarcha novæ Romæ Patriarcham veteris Romæ imitatur, qui in epistolis suis Apostolicam semper benedictionem præmittit, cui eandem vim tribuit, ac si Petrus Apostolus, cujus se successorem gerit, ipse benedixisset. Benedictio si eo sensu sumatur, ac si quis bene mihi precetur, a quovis Christiano grata nobis esse debet. At si Papa protensa manu benedicit, resonantibus tormentorum tonitribus, id a primæva quidem disciplina christiana alienum est. Superstitio huic benedictioni tum Papæ tum Patriarcharum tum & Nunciorum eam vim tribuit, ut a peccatis liberet quosvis obvios ad minimum venialibus, qua propter & in genua procidunt. Remissionem peccatorum Romanus quidem Patriarcha non exprimit, exprimit vero Constantinopolitanus, qui benedictione sua remissionem peccatorum vel offert vel annunciat. Ipsa formula absolutionis penes Græcos consueta adhucdum est deprecatoria, inque precibus consistit, super confitentem fusis, quibus Deus rogatur, ut peccata condonet, id quod ex GOARO patet. Conf. *Pfaffius* de absolut. ministri eccles. hypothetice vel cate-

tegorice concipienda. p. 8. Quodsi itaque formulam hanc Patriarchæ optative interpreteris, non male fluit, dum sibi non Apostolicam benedictionem, sed mediocritatem tribuit. 2) Quod se Patriarcham ex misericordia divina appellet, id ἀνυπευθυνίαν ipsius denotat, qua formula etiam Patriarcha Venetus utitur, ad denotandam a Sede Romana, quoad electionem ad minimum, independentiam, cum reliqui Episcopi gratiam hanc sedi Romanæ tribuant. Patriarcha Constantinopolitanus pontificiam excelsitatem, excelsum culmen, ὑψηλότητα, italice Grandezza, sibi arrogat, qui tituli, si quidem tituli meri essent, mirum quantum ecclesiam olim perturbarunt, altius vero assurgere Patriarcham Romanum, qui majestatem sibi tribuit, jam supra vidimus.

§. 19.

Observamus tertio, Patriarcham Constantinopolitanum subjectioni huic, quam ipsi præstant reliqui episcopi, gratiam tribuere, appellari ab eo dignitatem Patriarchalem, fontem, principium & caput hujus gratiæ, conjungere cum eadem gratiam sive facultatem Spiritus Sancti efficacem. Cavendum est, ne voce gratiæ abutamur, quæ amo-

rem

rem Dei Patris in JEſu Chriſto hominibus revelatum in complexu locorum ſacræ ſcripturæ ſignificat. Subjectioni aliorum ſub ſedem vel veteris vel novæ Romæ quis gratiam hoc ſenſu tribuerit? Alius eſt ordo, cui ſe eccleſia quædam adſtringit, alia eſt jurisdictio (*) eccleſiaſtica, quam eccleſia vel integram retinuit, vel principibus ita reliquit, ut ordinem externum & prærogativas Præſulum, ut in caſu ſubſtrato, Imperatores v. gr. Conſtantinus M. pro lubitu definirent. Aliud vero eſt, ordini huic Hierarchico gratiam tribuere, eumque fontem

(*) *Pfaffius* contra *Banizam* pag. 19. diſtinguit, quæ Princeps facit ab eo, quod alii faciunt, qui jurisdictionem eccleſiaſticam adminiſtrant; Principis ſc. eſſe proſpicere, ne ab iis, qui jurisdictionem adminiſtrant eccleſiaſticam, vel Simonia, vel Nepotismus, vel Tyrannis exerceatur. *Idem* in Diſſ. de vera eccleſiæ notione variisque illius ſpeciebus a. 1739. §. 14. ita infit: „*Sic relicto eccleſiis*, quod originarie competebat ipſis, *jure*, hujus *exercitium*, tacito earundem conſenſu in Imperantes translatum eſt, & eo quidem conſultius, quod in tanta eccleſiarum plebisque ſacræ multitudine fieri haud poterat, ut ordo, ut diſciplina eccleſiaſtica ſervaretur.

fontem principium & caput gratiæ appellare. Quodsi gratia externa intelligatur, nihil habeo, quod obloquar. Ex historia vero ecclesiastica patet, subjectionem Episcoporum sub forum sive Primatis sive Patriarchæ a divisionibus pependisse, quas Imperatores in terris tum Occidentis tum Orientis instituendas censuere. Cl. MOTTA, tractatui suo *de Metropolitico jure* dispositionem addidit, factam per Imperatorem Leonem sapientem, quem ordinem habeant throni ecclesiarum Patriarchæ Constantinopolitano subjectarum. Jam cum iste ordo sit mere humanus, (*) legibus humanis institutus, iisdem adhucdum obnoxius, fons gratiæ appellari nequit subjectio huic ordini præstita, nisi gratiam generalem intellexeris. *Quarto* quinam est sensus expressionis: annexam esse vim Spiritus

(*) Conf. omnino *Christ. Thomasius* ad *Lancellottum* L. I. T. IV. de Episcopis n. 48. ubi jus humanum Patriarchæ Constantinopolitani uno obtutu ex Zieglero demonstrat. Neque id ægre ferent Græci, qui ipsi non nesciunt, pascere pastores jure divino, sed esse Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, non nisi jure humano.

Spiritus S. efficacem? Τὴν ἐξουσίαν ἐνεργητικὴν Spiritus S. five fanctificantem five Paftores donis adminiftrantibus inftruentem non inficior. Neque nego, Spiritum S. Apoftolis infufflatione datum Joh. XX. 22. Id vero eft in quæftione, an Patriarchalis dignitas fit fons gratiæ cum vi Spiritus S. efficaci, nifi dona adminiftrantia intellexeris, quæ, ubi ordo epifcopalis viget, ab Epifcopo in Epifcopum reliquosque paftores propagantur, modo non fubfit idea de caractere indelebili, illis impreffo, qui ita Epifcopatui immittuntur. Conftat, Proteftantes etiam alicubi habere Epifcopos & ftudere fucceffioni epifcopali, fejungunt vero ab ea characterem indelebilem. Summa eft libertas Spiritus S. adeoque ex divina fua natura neque genti neque loco neque throno cuidam Patriarchali adligandus. Sic fucum nobis facit Cathedra Romana, & Spiritum S. fuo quafi throno adjungit, ne alibi eadem menfura impertiri credatur, quam in unione cum hac Cathedra. Quid jam tempore Gregorii M. de utriusque throni Patriarchalis prærogativis fuerit difputatum, habet Jannonius.

§. 20.

§. 20.

Quinto ex sequentibus adparet, mentem esse Patriarchæ, hanc gratiam per consecrationem sive ordinationem aliis communicari. Ex ipsa definitione ordinationis & ex usu primitivæ ecclesiæ patet, ordinationem sive consecrationem juris divini non esse, sed non nisi juris ecclesiastici & humani. Ordinatio est actus publicus, quo ecclesia per Ministrum sive Ministros, ministerii sacri candidatis, recte sive vocatis sive electis, additis precibus manuumque impositione adhibitisque solennibus formulis, potestatem docendi & administrandi sacra confert. Nostra definitio parum a Bœhmeriana differt in jure paroch. Sect. III. c. 1. §. 39. Dixi, per Ministrum sive Ministros. Constat enim, esse Concilia, & ipsum Nicænum, quod tres Episcopos ordinare jubet. Constat porro, quæ *Jablonski* cum *Grabio* tractarit, scripta ei epistola, qua quærebat, an ordinatio ab uno episcopo fieri possit. Grabii responsum affert Pfaffius in Origg. jur. eccl. rec. ed. p. 326. Hinc laudandus ab antiquitate est mos ecclesiæ Augustanæ, ordinationem ibi ab universo Ministerio ceu Presbyterio; primario autem a Senioribus ceu Capitibus fieri,

dicente

dicente unoquoque, quod e re esse putat, ordinatumque verbo salutari tum excitante tum inaugurante. Patet ex definitione, ordinationem esse actum publicum, in se laudabilem, at non nisi ab hominibus his cerimoniis vestitum. Nam quæ de impositione manuum tanquam necessitatis absolutæ oggeruntur, ea jam supra diluimus. Aliud est ministerium ecclesiasticum seu clavium, a Christo institutum, cum quo jus & potestas docendi & sacramenta administrandi jungitur. Sic Christus Matth. XVI. Petro primo loco spondet, daturum sese ei regni cœlestis claves, exinde vero deducit jus docendi & sacra pro diversitate subjectorum impertiendi. Aliud vero est ordinatio, qua Candidati ad hoc officium imbuuntur, qui actus mere humanus est, licet cultus divinus hunc actum ab hominibus introductum sanctificet. Quod ad usum primitivæ ecclesiæ pertinet, habemus Canonem Concilii Nicæni I. œcumenici quartum, qui ita fluit: ἐπίσκοπον προσήκει (*) μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθί-

(*) Sive hoc verbum προσήκει per *oportet*, ut *Hervetus* & *Isidorus Mercator*, sive per *convenit*, ut

θίςασθαι. Eo ſenſu ex lege etiam primitivæ eccleſiæ Auguſtana eccleſia bene omnes eccleſiæ Miniſtros in partem ordinationis trahit. Ἐπαρχίῳ enim provinciam dicit, quæ ſub Præfecti ditione eſt. Concilium itaque collegium Epiſcoporum tanquam ſocietatem quandam conſiderat, in quam ante, quam quis adſciſcatur, ſocietatis eſt, præmiſſa cognitione, an Societati conveniat, quod judicium Imperatores etiam in rebus eccleſiaſticis permiſerant Epiſcopis, eundem in Societatem immittere. Quam mentem eccleſia Auguſtana exacte imitatur. Electo enim Miniſterii candidato, in Conſilio, quod vocant, fideli, quæ ſuffragia ſatis commonſtrant, dexteritatem ſe ejus cognitam habere atque exploratam, res ad collegium eccleſiaſticum, cujus membra ſunt politica, ex diverſis inclytæ hujus Reipublicæ ordinibus ſejuncta, devolvitur, in quo Candidatus pluribus ſuffragiis confirmatur, tum vero a Miniſterio officio ſuo immittitur, ſicque ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίςαται. Εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη, per-

ut *Dionyſius Exiguus*, verteris, lex eſt humana, ab hominibus facta.

pergit Canon, τὸ τοιȣ̃το, ἢ διὰ κατεπείγȣσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδȣ̃, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένȣς, συμψήφων γινομένων, καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. Hæc prima lex positiva sed humana est de ternario ordinantium, quem vero numerum ternarium non absolute esse necessarium, demonstrat *Masonus in Vindiciis ecclesiæ Anglicanæ.* (*) Græci hisce Canonibus adhucdum insistunt, at quæritur, an Patriarcha Romanus eos observet, in episcopi electione συμψήφȣς esse oportere reliquos etiam vel absentes, quem con-

(*) Conf. *Pfaff* in diss. de successionis episcopalis apud Protestantes pretio in Origg. J. E. p. 265. ubi excerpta ex *Masono* affert. Confer porro Paraphrasin Canonum Nicænorum Arabicam Josephi Ægyptii Presbyteri, in qua video, 1) episcopos omnes ideo in partes vocari, ut de religione ipsius cognoscant, quod in textu jam indicavimus. 2) Numerum ternarium in hac paraphrasi *non absolute necessarium* dici: ita enim fluunt verba: *tres omnino episcopi ad eum conveniant, vel duo, vel unus saltim necessario.*

consensum literis commonstrare debeant, qui mos in ecclesia Romana a plenitudine potestatis, quam Thomas Papæ dedit, fuit absorptus. Hæc lex primi Concilii humana est. Nec ægre ferre possunt ipsi Græci, qui typum nostræ doctrinæ non ignorant, nos Conciliis auctoritatem non nisi humanam ecclesiasticam conferre, quæ contra verbum divinum in rebus fidei sit invalida, in reliquis vero antiquitatem, & mentem Patrum piam laudamus. Sæpius enim Concilia, id quod jam observavit Cel. D. D. WALCHIVS, Gœttingensis, fautor noster singularis, non nisi Comitiorum formam nanciscebantur. Sequentia demum tempora ordinationi gratiam inhæsivam & ex ea fluentem characterem indelebilem apposuere. Ex eodem Canone jus divinum adstruere quidem voluit M. A. *de Dominis*, cui vero respondit *Schilter* de libert. eccles. Germ. c. 2. §. 15. & bene animadvertentem *Strykium* laudat Bœhmerus l. c. p. 124. *vix mandatum apostolorum de necessitate ordinationis exstare in sacris paginis, nec promisisse Deum, se per hunc ritum daturum esse gratiam*, qui & §. 43. ordinationem morem quidem ecclesiæ antiquissimum vocat, sed indifferenti ratione adhibitum, nullo-

que

que mandato divino conſtantem. Nec moramur, canones eccleſiæ primitivæ opponi, qui *Canonice* epiſcopos fieri jubent, ſi vox *Canonice* de Canonibus eccleſiæ puræ, ſenſu itaque depurato, accipiatur.

§. 21.

Patriarcha vero ita pergit: „*Superioribus obtemperandum eſt, eorumque mandata ſunt perficienda, aſſerente ſancto Apoſtolo: Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis. Quotusquisque vero contraria his facit, absque data a Patriarcha & Synodo facultate, Sacerdotalia & Epiſcopalia munia temere exercere conatus, is ex Apoſtolicorum Canonum ſanctorumque patrum dictaminibus degradationis culpam ſibi contrahit, auctor quippe & cauſa denegati obſequii, ordinisque turbati, contra leges quippe divinas prævaricatus, exciditque dignitate, quam irregulari ratione & indiſcretim acceperat, ſacrisque eccleſiæ noſtræ recinctibus ejicitur.*„

Theſis de obſequio ab inferioribus præſtando bene fluit, quia ex jure eccleſiaſtico Græcæ eccleſiæ Patriarcha cum Synodo Epiſcopum facultate epiſcopali & ornat & privat. Legem vero divinam eſſe, nego, quos Canones boni ordinis cauſa

 dicit

dicit ecclesia. Peccare contra Canones ab ecclesia receptos, est contra ecclesiæ instituta facere, adeoque factis indignum se gerere officiis ab ecclesia conferendis. Dignitate excidisse eo sensu concedo, si dignitas in manibus Patriarchæ & Synodi est. Quod si vero Princeps eum, cæteris paribus, (salvis ecclesiæ juribus internis, quin & ipsi ecclesiæ data Episcopi eligendi potestate, relicto itaque eidem de orthodoxia ejusdem judicio,) Caput reliquis præposuerit, id pro terris Principi subditis valet, nisi Episcopus, ut nostro in casu, proprie jurisdictioni Metropolitani sit subordinatus, quod Venetiis quidem in dubio esse videtur, cum & vetus & nova Roma subjectionem hanc exigant, licet re vera in dubio non sit, ecclesia Græca semper veteris Romæ Patriarchæ addicta. Quid electionem faciat irregularem, Juris Canonici doctoribus relinquo. Ideo vero ex pomœriis ecclesiæ penitus ejiciendum, quis statuerit? Primatibus & Synodis non nisi id judicii competit, an Episcopus munus suum rite possit adire. Quodsi vero irregularitatis quid accesserit, id quidem non tantum crimen est, ut membra ecclesiæ statim excommunicationi sint addicenda. Quam facilis in ex-

excommunicationibus olim fuerit Patriarcha veteris Romæ, alii jam ante me adnotarunt. Excommunicatio, i. e. sejunctio a cœtu fidelium, *clavi certa, non errante*, (quæ distinctio est immortalis *Sarpii* toties inculcata in scriptis contra Pauli V. anathema) nec animo levi, sed deliberato, præmissa & ponderata facti gravitate, est facienda, nec quod ecclesiasticum est, politica specie induendum. Qui de rebus Græcorum scripserunt, unanimi fere consensu testantur, quanta sit excommunicationis a Patriarcha Novæ Romæ factæ auctoritas, ut ipsi Turcæ eam sæpius sibi expetant, quo facilius fine suo potiantur. Quid huic testimonio peregrinatorum v. gr. SMITHII, cum quo consentit CRUSIUS nostras insit veri, Græci melius me edocebunt. Bene Joannichius Synodum sibi adscivit, ut de facti gravitate Synodicum fiat judicium. Nec denegandum est obsequium huic Synodo a Græcis præstandum. Quod si enim Græca ecclesia semel se Patriarchæ Constantinopolitano submiserit, illius etiam sententiis est standum. Facile quidem excommunicatio inconsulto vibrata in jura Principis involat, cujus subditos potest turbare, adeoque nec Principibus vitio vertendum,

 si

si contra excommunicationes quieti publicæ consulant. Quod ad irregularem rationem pertinet, qua Facea hoc muneris acceperit, jus Canonicum L. I. Tit. XXV. de iis, qui promoveri non possunt, quatuor tantum impedimenta ponit, quæ huc non quadrant. Irregularitas porro, quæ Canonicum impedimentum est, quo quis tam ab ordinibus ecclesiasticis suscipiendis, quam ad ejusdem subeunda ministeria prohibetur, vel ex facto oritur, vel ex defectu. Defectu physico, quam improprie irregularitatem dici monet Thomasius ad Lancellottum L. IV. Tit. XV. de suspens. Facea non laborat. Itaque facto eandem sibi adscivit, sicque, si generalissime velimus procedere, legali inhabilitate, ut ita dicam, laborat, quæ ex jure positivo ecclesiastico Græcorum de juribus Patriarchæ & Synodi est repetenda. Irregularitatem in se censuram non esse, cum Thomasio l. c. n. 562. facile credo, nec tamen id negari poterit, contra irregularitatem ex delicto dari censuram. Decidant alii, an violatio juris humani anathemate vibrato sit luenda.

§. 22.

Pergit Patriarcha: „Jam eum ante exiguum „tem-

„tempus ſupplicantibus & rogantibus orthodoxis „Chriſtianis & honorandis Mercatoribus, qui in „inclyta urbe Veneta ſedem fixam habent, id fue„rit conceſſum, ut ab illa Sereniſſima Republica „facultate & poteſtate ornarentur, conſtituendi ex „uſu antiquo Philadelphiæ Metropolitanum, facta „ab iisdem orthodoxis Chriſtianis noſtræ Nationis „electione cerri cujusdam, cui Gregorii nomen „eſt, id negotii ſynodice ad nos fuit delatum, ad„ditis precibus, ut ex antiquo uſu Canonico & „ex conſuetudine eccleſiaſtica noſtram ipſi Patriar„chalem & Synodalem Bullam mitteremus, ut or„dinatio ejus rite poſſit ſuccedere. Synodo ita„que oblatæ ſunt ipſius literæ, eæque coram ea„dem recitatæ. Quo facto communi & ſynodali „conſenſu id fuit decretum, ut electus Gregorius „antea orthodoxam fidei profeſſionem ad nos mit„teret, ad exactam Canonum amuſſim patrumque „diſpoſitionem, accedentibus inſuper & informa„tione & teſtimonio approbativo orthodoxorum „Chriſtianorum Venetiis commorantium; quo fa„cto nos ipſi noſtram Bullam Patriarchalem miſ„ſuros ſpondebamus, ut Metropolita Philadelphiæ „poſſit conſecrari & ordinari, quæ Chriſtianorum

 noſtræ

„noſtræ Nationis erat rogatio. Quæ poſtea ortho-
„doxa ipſius Profeſſio exacte & mature a nobis
„noſtraque Synodo ponderata literisque tradita ei-
„dem cum epiſtola noſtra patriarchali mittebatur,
„additis mandatis, ut exhibitam ipſi ejusmodi pro-
„feſſionem a nobis miſſam, primum in templo Dei
„coram omnibus orthodoxis Chriſtianis legat, pro-
„pria manu ſubſcribat, ſubſcriptam & confirma-
„tam nobis transmittat, uti diximus. Tum qui-
„dem & nos ipſi Patriarchalem Bullam eramus
„miſſuri, ut ordinatio ipſius ex ritu recepto pos-
„ſit ſubſequi.

§. 23.

Hic ad ipſam caſum noſtrum accedit Patriar-cha. *Primo* quidem ad uſum antiquum provocat, quo Græci Veneti Metropolitam Philadelphiæ Epiſcopum ſeu Caput eccleſiaſticum venerabantur. Res itaque non adeo nova, ac Curia Romana ſimulabat. Cel. Dn. D. *Kiesling*, quem cum debita reverentia citamus, in exaſciata hiſtoria concertationis Græcorum Latinorumque de transſubſtantiatione p. 358. *Gabrielem Severum* profert, tanquam primum dictionis μετουσιώσεως auctorem qui & ipſe fuit, qui hodie Facea vel eſt vel eſſe

præ-

præsumit, quem & in Catalogo Archiepiscoporum Philadelphiæ, Papæ exhibito, legere mihi contigit. Quæ ibidem de hoc Gabriele afferuntur, ita sunt intelligenda, non quod Archiepiscopi Philadelphiensis & Antistitis ecclesiæ Græcæ dignitas in se differat, eo enim sensu Gabriel, qui semper inter Venetos Patavii fuit innutritus doctrinaque sua imbutus, nunquam vere Philadelphiæ resedit. Intercessit ei commercium epistolicum cum nostro *Martino Crusio*, ut videre est ex Turco - Græcia L. VIII. ep. 8, p. 512. ad quem permultum laudat Venetorum in Græcos studium, in dogmaticis vero ita se gerit, ut non nisi generalioribus adhærere adsertionibus videatur. Ἴσθι ἡμᾶς τῇ ἀληθεῖ διδασκαλίᾳ ἑπομένους, καὶ ταῖς τῶν ἁγίων ἀποστόλων παραδόσεσιν, οὔγε μὴν τοῖς περὶ στροφὰς λέξεων καὶ λόγους εἰς ἀέρα γεομένους ἐσχολακόσι, προσθήκαις τε καὶ ἀφαιρέσεσιν ὁσημέραι προβαλλομένοις. Quo sensu aperte Scholasticos doctores castigat, verbo Dei στροφαῖς λέξεων vel addentes vel detrahentes. Ipse vero se subscribit ἀρχιεπίσκοπον Φιλαδελφείας καὶ ἔξαρχον πατριαρ-

τριαρχικόν. Pagina vero 525. ad Patriarcham Byzantinum rescribit, quomodo a Republica Veneta fuerint suscepti Græci, qui locus, cum in laudem inclytæ hujus Reipublicæ vergat, adponendus mihi videtur. Ἡμᾶς ἴσθι, φιλοτίμως πως πρὸς τῆς τῶν Ἐνετῶν πολυυμνήτου ἀρχῆς προσδεδεγμένους, τῆς εὐσεβῶς ἅμα δὲ καὶ αἰδεσίμως τοῖς σοῖς ἐντυγχανούσης γράμμασι, καὶ τὸ ἀποφαινόμενον ἀόκνως σιανούσης. Οὐδαμῶς γὰρ, τῷ ὄντι οὐδαμῶς ἔνεστι ἄλλῃ ἀρχῇ παῦλαν τινὰ εὑρεῖν, τῶν αὐτοῦ συμφορῶν, ὡς τῇδε, ἐν ᾗ οὐδεμία γίγνεται τὰ πρὸς τὴν ἡμετέραν θρησκείαν ἀνίχνευσις. Negat, in alia ἀρχῇ Regno seu republica locum eis fuisse concessum tam magnificum, quam Venetiis. Negat, obnoxios se esse τῇ ἀνιχνεύσει, seu de cultu religioso inquisitioni. Id dixisse de usu antiquo constituendi Archiepiscopum Philadelphiæ in Caput Græcorum exemplo *Gabrielis Severi* de anno 1578. sufficiat. Vere de viro hoc prædicari potest, laudatur ab his, culpatur ab illis. Thomas *Shmithius* in itinere Turcico p. 117. & 118. de

de ecclesiæ Græc. Stat. hodierno inter ejus opuscula ex itinere Turcico enata eum vocat *ineptulum mysteriorum in quovis ritu indagatorem, qui levem & nullius prorsus judicii, ubi cujuspiam momenti res argumentorum pondere tractanda est, fere ubique se prodit.* inventorem eum esse vocis μετεσιώσεως ex scholasticorum doctrina natæ, habet p. 100, quod *Jeremias* Patr. Constantinop. a quo Metropolita fuit consecratus plane nescivit. Laudatur vero a citato *Muazzo* l. c. qui, relatis latinorum studiis de Calendario Gregoriano Græcis obtrudendo, litteras Severi memorat ad Patrem Constantinop. missas, quibus supplex oravit, ut accipere Calendarium Græcis liceat, cui vero petitioni Patriarcha surdas præbuit aures. Verba ejus ita fluunt: „*Monsignor Gabriel Severo il suo „primo Metropolitano uomo di singolar virtù, di „sommo merito sù quello, che una e due volte umi„liò all' ecumenico Patriarca le supliche della na„tione. La prima volta nè meno ebbe risposta, la „seconda ricevè risposta mà con dispiacere di veder „rigettate le sue instanze.*„

§. 23.

Secundo disciplinam ecclesiasticam Græcorum

 facile

facile pervidemus. α) Principis enim eſt, decidere, an ſit e republica, ferre ejusmodi caput, an vero minus. Noſtro caſu Principi major exinde ſubnaſcitur neceſſitas, quoniam Exarchis a Patriarcha Conſtantinop. poteſtas quædam judiciaria datur, quæ ne in detrimentum vergat, Principis eſt diſpicere, ut caput eccleſiaſticum cujusvis toleratæ religionis in rebus altioris indaginis perpetuum cum eo ſervet nexum, illæſis interea relictis juribus ſocietatis eccleſiaſticæ internis. β) Quæ ne princeps offendat, *orthodoxis Chriſtianis* ut habet epiſtola Patriarchalis, poteſtatem concedit, eligendi ſibi Archiepiſcopum, accedente tum clero tum populo in partes ſuffragiorum. *Thomaſius ad Lancellottum* ex *Zieglero* demonſtrat, olim non licuiſſe eligere epiſcopum, niſi quem populus probaverit, idque ex conſuetudine Apoſtolorum Act. I. 15. & VI. 2. Uſus ille ſeculo adhucdum tertio & quarto ad ſexti vere initia fuit ſervatus, quo Juſtinianus honoratioribus tres proponendos permiſit, ex quibus Metropolitanus digniſſimum eligat. Itaque ad amuſſim Canonum hac in re fecerunt Græci. γ) Quod vero Metropolitani titulum Faceæ ſive cuivis a natione Græca electo tribuant,

buant, id dignitati reipublicæ Venetæ respondet. *Gabriel Severus* exarcham se vocavit, cum quo titulo potestas quædam judiciaria est conjuncta. In novella Leonis Imperatoris, quem Philosophum cognominant, sextus thronus Constantinopolitano throno subjectus est, thronus (*) *Sardium* in Lydia, Sardiano vero Metropolitano subjicitur Præsul Philadelphiensis, qui & Hirtacomianus dicitur. Constitutio hæc Archiepiscopo ecclesiæ Philadelphiensis Metropolitani jura certe non tribuit. Nec tribuit ordo provinciæ sub Eparcho Romæ sive Italiæ, qui Veneriam quinto loco ponit in provinciæ Campaniæ. Vid. MOTTA l. c. in append. p. III. & p. XVII. δ) Quod vero patriarcha de synodo sua effert, id ex *Elsnero*, *Zialowskio* aliisque claret, & institutis antiquæ ecclesiæ quam maxime est consentaneum. Synodus hæc originem suam debere mihi videtur usui antiquo, quo vacante ecclesia Episcopi cum provincialibus conveniebant, proposituri, si quid obstaculi adesset. Romana ecclesia loco Synodi collegium Cardinalium assumsit,

(*) De locutione hac throni, cui conveniat, differit MOTTA l. c. p. 203.

ſit, quorum vero jura ad nihilum fere ſunt redacta, ſi cum Synodo Græca conferas. Caſus ſubſtratus ex eo, quam facillime dignoſcitur, quod *Thomaſius* loco citato p. 72. affert. „*Juſtinianus*, „inquit ille, *populo* atque clero eccleſiæ vacantis „προβέλευμα tantum aliquod conceſſit, Metro„politano vero ultimam & proprie ſic dictam ele„ctionem. Veroſimile tamen, Metropolitanum „habuiſſe penes ſe Synodum reliquorum epiſco„porum comprovincialium, cum quibus diſcuſſo „probolevmate, ad ſe miſſo, electio perficeretur. „ προβέλευμα eſt cleri atque populi, quod in eccleſia Græcorum Veneta factum etiam eſt. Me jam non moratur longior disquiſitio & evolutio ideæ de populo, utrum de univerſo populo ad eccleſiam pertinente, an vero de capitibus populi repræſentativis ſit intelligendum. ε) Patrinarcha præterea urget, ad hoc προβέλευμα pertinère profeſſionem fidei, ab Archiepiſcopo & orthodoxis Græcis ſubſcribendam, quam profeſſionem ipſe cum Synodo mature conceptam, ipſi coram eccleſia recitandam, ſuaque manu confirmandam miſerat, tum demum Bulla patriarchali & Synodali perfectum iri electionem. In propatulo itaque eſt, Patriar-

triarcham tanquam Caput religionis Græcæ de fide Græcorum pura ſervanda eſſe ſollicitum, quod ſtudium quis agræ ferat? Licet enim invita conſcientia nemo alterum ad Profeſſionem fidei poſſit adigere, ſi tamen eccleſiæ juribus gaudes, debes & typum doctrinæ profiteri eundem, cujus publica profeſſio, prælectio, ſubſcriptio, ſi vel ad externa referas, in ſe tamen non ſunt ſuperflua, ſed, in caſu maxime dubio, neceſſaria. Sic nos Proteſtantes formulæ concordiæ ceterisque eccleſiæ Evangelicæ libris ſymbolicis ſincera mente manuque ſubſcribimus, ſubſcriptionemque prælegimus, ut publicum extet teſtimonium noſtræ fidei, publico typo conformis.

§. 24.

„*At præ varicator iſte*, ſic fluit textus, *flocci* „*penſis Apoſtolorum & Patrum* Canonibus ſanctoque eccleſiæ ordine & uſu, & manifeſto in „univerſam Synodum & magnam ſubjectam nobis „eccleſiam Chriſti demonſtrato contemtu, temerarius inquam ille, ſepoſita omni reverentia poteſtatem ſibi arrogavit, illic absque conſecratione „ſemet ipſum conſecrandi, aſſumpto temere nomine Epiſcopi & Metropolitæ Philadelphiæ, non „conceſſa prius illi Patriarchali noſtra Bulla, quæ „po-

„poteſtatem, ordinationem aſſumendi, ipſi tribue-
„ret, perpetrata ſic actione, quæ & ſumma cum
„arrogantia eſt conjuncta, & plane a recta regula
„abludit, condemnata ideo a divinis quoque legi-
„gibus ſacrisque Canonibus. Re igitur a Synodo
„maturius perpenſa, conſiderata canonice facti ano-
„malia, reum & abnoxium ultimis pœnis eccleſia-
„ſticis ſe præſtitit, culpa tam magna tamqu. gravi,
„contra Canones perpetrata. Sextus enim Sanctiſ-
„ſimi œcumenici Concilii Canon & ſecundus ſe-
„cundi Concilii ita fluunt. Valeant conſuetudi-
„nes Archiepiſcoporum antiquæ, & ſuis in provin-
„ciis poteſtatem quisque habeat. Quod ſi quis
„absque Metropolitani ſententia factus fuerit. Epi-
„ſcopus, deponatur.

§. 25.

Provocat ad Canonem VItum Concilii Nicæni œcumenici primi, qui quidem quoad ſenſum non quoad verba eſt, citatus. Canon enim ita inſit: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείσθω, antiquos mores ſervari vult. Quæ in Canone citato ſubſequuntur, ſingulis Patriarchis ſuas tribuunt provincias. In eodem Canone ſequentia præcipiuntur. Ει τις χωρὶς γνώμης τȣ͂ μητροπολίτȣ γένοιτο ἐπίσ-

ἐπίσκοπος, τὸν τοιῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. Paraphrasis Arabica hunc Canonem ita affert. „Quod si quis „aliter factus fuerit, modo præcipimus, & visum „est Synodo, ut omnino non sit, & ut Synodo ejiciatur, nisi Patriarcha negotium ejus susceperit, „ut cui Principatus est super Synodum.„ Ipsa paraphrasis docet, auctorem ævi sequioris esse, quo demum de principatu Patriarchæ super Synodum coeptum est scribi. Constat, extare hanc Canonum fere omnium, in ecclesia receptarum, paraphrasin Arabicam in Bibliotheca Oxoniensi Bodlejana. Sive textum sive paraphrasin ames, jus Patriarchæ est, neminem, nisi rite ordinatum, καὶ συμψήφου τοῦ μητροπολίτου. An vero ipse Facea muneri suo se intruserit, alia est quæstio, eaque facti. Ei non se intrusisse videtur ex libera ecclesiæ Græcæ electione, quæ licet per majora suffragia fuerit facta, cæteris tamen paribus potest esse legitima, nisi Simoniæ, nisi partium præpotentiæ reus ab aliis insimuletur, quæ si re vera ita se habeant, contemtus erga Bullam Patriarchalem confirmatoriam, crimen Faceæ auget.

§. 26.

§. 27.

„Nos itaque volumus & Synodice decernimus,
„una cum sacrosanctis Archiepiscopis & honoran-
„dis inque Spiritu S. dilectis nostris fratribus &
„Concelebrantibus, ut prædictus Gregorius, qui
„quacunque ratione fuerit electus sub titulo Phi-
„ladelphiæ, absque vera tamen consecratione, sed
„irregulari potius modo Archiepiscopus fuit conse-
„cratus, & Philadelphiae Metropolitam se vocavit
„absque Patriarchali Bulla sive ecclesiastica permis-
„sione, contra patrias leges sacrosque Canones,
„quos nihili fecit, contemta magna Christi eccle-
„sia nobis subjecta & universa sacra Synodo, qua
„mente actionem adeo illegalem, condemnatione
„dignissimam, perpetravit, quæ nunquam a mul-
„tis inde Sæculis vel fando accepta vel facta fuit,
„ut inquam prædictus Gregorius omni Archiepi-
„scopali actione sit privatus, & depositus, divina
„gratia spoliatus, ex Catalogo „Hierarchico ejectus
„& exclusus, omnique beneficio ecclesiastico pri-
„vus, denegata ei omni facultate Archiepiscopali,
„ut nec habitu Pontificali uti, nec functionibus
„Archiepiscopalibus vacare possit, sed ut tanquam
„degradatus & sine ullo sacro charactere Grego-
rium

„rium duntaxat se appellet, loco & instar Laici „habitus, ut ne quis audeat, cum eo se ad sacra „parare, aut sacra ipso facto celebrare, aut „tanquam Archiepiscopum, Philadelphiæ Metropo„litam honorare, aut ipsius manum non sacram „osculari, aut benedictionem & sanctificationem „ab eo accipere, sub pœna suspensionis & indis„solubilis excommunicationis, datæ a Deo omni„potente. Ita definitive fiat, ut scribimus. Mense „Septembris 1762. Indictione XI.

„*Irenicus Cæsareensis.* (*)
„*Joannichius Chalcedonensis* (**)
„*Meletius Vidinensis.*
„*Gerasimus Cycicensis*
„*Samuel Derconensis*
„*Agapius Chius.*
„*Nicephorus Nicomediensis.*

„*Me-*

(*) Qui primus est, & titulo gaudet ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων καὶ ἔξαρχος τῆς πάσης Ανατολῆς. i. e. Diœceseos Ponticæ Ponticæ Exarchus. Sruit l. c. p. 61.

(**) Chalcedon ignobilis hodie pagus est, in quo unicum est templum S. Euphemiæ. In parvula hac provincia vix sexaginta Christianorum ecclesiæ reperiuntur.

"*Meletius Prussæ* (*)
"*Ieremias Nicenus.*
"*Samuel Veviensis.*

§. 28.

Magno cum zelo juri ecclesiastico insistit Patriarcha, actionibus Faceæ nuncupatis tum illegalibus tum fere nefandis. Primo eum ab Archiepiscopali dignitate removet. Omnis degradatio vel verbalis est, quæ plerumque depositio dicitur, cum ab eo, qui auctoritatem habet, assistente certo episcoporum numero depositionis fertur sententia. Vel actualis est, eum certis quibusdam cerimoniis conjuncta, quas jus Canonicum affert. De depositione Episcoporum multus est & erudita affert argumenta *Marca* de Concord. sacerd. & Imp. L. 7. qui docet, depositiones Episcoporum ab initio decretas & factas fuisse a Synodis provincialibus. Nostro itaque in casu recte se habent, quæ Patriarcha cum Synodo fecit, si de depositione sola sit sermo. At jam olim accesserunt revisiones Imperatorum, jure ne an injuria quis sit depositus, quas revisiones in Concilio Sardicensi

(*) Qui habet circiter 40. ecclesias.

censi & postea paulatim ad se pertraxit Curia Romana. Patet, ab hisce revisionibus non admodum sibi timere Patriarcham, nec causam timendi habet, in justa causa versatus. At jure hoc nativo Principes quis privaverit? Quis Principi, ut rem exemplo illustrem, Veneto jus ademerit, providendi, ne in ecclesiasticis quid contra publicam tranquillitatem accidat. Summus enim Imperans fons est gratiæ politicæ seu publicorum munerum, sub cujus auctoritate quippe conferuntur, a quo & derivandi sunt reditus muneribus additi, nisi pacta Nationis publica cum Principe inita, ratione fundorum publicorum, aliud quid definiant. Hinc ipsi etiam Principes Catholici, si ecclesiasticos vel punire vel in ordinem redigere velint, episcopos ita puniunt, ut temporalia ipsis sequestrent, uti in Gallia vel exilio vel sequestratione temporalium mulctantur. Penes principem itaque est, si non a munere detrudere, certe de depositionibus ecclesiasticis etiam dispicere, sive id per se, sive per alios Ministros delegatos faciat, qui usus in ecclesia non novus, sed perantiquus est. Si Patriarcha deponit, ex antiquo usu ei adstant certi quidam Episcopi, ob rei gravitatem in consortium consilii vocati. Nu-

 merum

merum eorum diversis modis ineunt ICti. Ad depositionem Episcopi duodecim plerumque Episcopi requiruntur, Synodus Constantinopolitana, quod meri arbitrii est, decem sibi adscivit, præside patriarcha. Numerus duodenarius tam religiose olim fuit observatus, ut cum Amathuntis Episcopus ab Archiepiscopo suo & undecim Episcopis aliis fuisset depositus, Patriarcha Constantinopolitanus & qui cum eo fuerunt, invalidam & nullius momenti eam esse depositionem decreverunt, tum quod non universa Synodus Cypriorum ecclesiæ aut major saltim pars, cum facile congregari posset, coierit, tum quod Archiepiscopus cum reliquis duodenarium numerum confecerit, qui tamen persona ejus excepta esse debuisset, uti refert Theodorus *Balsamon* ad C. 12. Conc. Carthag. & ex eo *Thomasius* ad *Lancellotum* T. I. p. 262.

§. 29.

Secundo varii effectus hujus degradationis referuntur, quorum primus est, ut divina gratia privetur. Qua de re jam supra nonnulla monuimus. Alia est degradatio, alia privatio gratiæ divinæ, qua nemo nisi DEus potest privare. Alter effectus

est

est beneficium omne ecclesiasticum, quod si temporale respiciat, uti quidem *Facea* Abbatiæ cujusdam reditus fuerunt gratiose collati, nullius Patriarchæ est, (id quod ipsi græci, sana principia juris ecclesiastici inde ab antiquis temporibus edocti, non inficias eunt,) de bonis principum disponere, quæ Subditis conferunt. *Tertio* potestate eum privat, utendi vestibus sacris, relatum quippe inter Laicos, Depositio alias reum non eximit ordine, privilegiis & oneribus clericalibus, neque jurisdictione & potestate judicis ecclesiastici, nostro vero casu Facea omnibus privilegiis exuitur. Porro Canonistæ volunt depositioni locum non esse nisi in delictis majoribus, Simonia, latrocinio, concubinatu, conspiratione, blasphemia, furto, homicidio, inter quæ delicta, Faceam non nisi Simoniæ arguunt Græci quidam. De auctoritate hac Patriarchæ inter suos vide *Crusii* (*) Turco-Græciam p. 197. Apud Turcas vero non eo loco habetur, quo est inter suos. Nec inter purpuratos Imperatoris

(*) Incommoda non nihil est editio operum *Crusii*, rarior etiam & infrequentior quam si DEus vitam concesserit, inter Græcos notiores reddam.

merum eorum diversis modis ineunt ICti. Ad depositionem Episcopi duodecim plerumque Episcopi requiruntur, Synodus Constantinopolitana, quod meri arbitrii est, decem sibi adscivit, præside patriarcha. Numerus duodenarius tam religiose olim fuit observatus, ut cum Amathuntis Episcopus ab Archiepiscopo suo & undecim Episcopis aliis fuisset depositus, Patriarcha Constantinopolitanus & qui cum eo fuerunt, invalidam & nullius momenti eam esse depositionem decreverunt, tum quod non universa Synodus Cypriorum ecclesiæ aut major saltim pars, cum facile congregari posset, coierit, tum quod Archiepiscopus cum reliquis duodenarium numerum confecerit, qui tamen persona ejus excepta esse debuisset, uti refert Theodorus *Balsamon* ad C. 12. Conc. Carthag. & ex eo *Thomasius* ad *Lancellotum* T. I. p. 262.

§. 29.

Secundo varii effectus hujus degradationis referuntur, quorum primus est, ut divina gratia privetur. Qua de re jam supra nonnulla monuimus. Alia est degradatio, alia privatio gratiæ divinæ, qua nemo nisi DEus potest privare. Alter effectus

est

est beneficium omne ecclesiasticum, quod si temporale respiciat, uti quidem *Facea* Abbatiæ cujusdam reditus fuerunt gratiose collati, nullius Patriarchæ est, (id quod ipsi græci, sana principia juris ecclesiastici inde ab antiquis temporibus edocti, non inficias eunt,) de bonis principum disponere, quæ Subditis conferunt. *Tertio* potestate eum privat, utendi vestibus sacris, relatum quippe inter Laicos, Depositio alias reum non eximit ordine, privilegiis & oneribus clericalibus, neque jurisdictione & potestate judicis ecclesiastici, nostro vero casu Facea omnibus privilegiis exuitur. Porro Canonistæ volunt depositioni locum non esse nisi in delictis majoribus, Simonia, latrocinio, concubinatu, conspiratione, blasphemia, furto, homicidio, inter quæ delicta, Faceam non nisi Simoniæ arguunt Græci quidam. De auctoritate hac Patriarchæ inter suos vide *Crusii* (*) Turco-Græciam p. 197. Apud Turcas vero non eo loco habetur, quo est inter suos. Nec inter purpuratos Imperatoris

(*) Incommoda non nihil est editio operum *Crusii*, rarior etiam & infrequentior quam si DEus vitam concesserit, inter Græcos notiores reddam.

toris locum habet, nisi eum tributum affert, inquit Crusius l. c.

§ 30.

Iam ad secundum documentum Constantinopolitanum accedo, quod primum Latinitate dono, post annotationibus dilucidandum censeo:

„Ioannichius gratia Dei Archiepiscopus Con„stantinopolis, novæ Romæ & œcumenicus Pa„triarcha.

„Honoratissimi Clerici, Sanctissimæ Archiepi„scopalis ecclesiæ Leucados & Sanctæ Mauræ & „Archiepiscopalis Cephaloniæ & Zacynthi, reli„quique venerabiles religiosi & sacratissimi Mona„chi, cum omnibus subjectis eisdem pagis, No„bilissimi Cives, Seniores, Præfecti, & reliqui „christiani omnes benedicti earundem Parochia„rum filii spirituales humilitatis nostræ. DEus vo„bis omnibus mittat gratiam suam & pacem, si„cut & nos, vobis cœlitus omnem felicitatem ad„precantes, benedictionem & Indulgentiam no„stram impertimus.

„Qui legibus divinis non obtemperat, nec in„tra proprios limites restrictus versatur, si ecclesiæ „addictus fuerit, suo statu, conditione & gradu de„cidit;

„cidit, ob quas causas & inexcusabilis est, meri-
„toque reprobatur, & contra sacros ecclesiæ Ca-
„nones prævaricatus, ex ecclesiæ pomœriis rejici-
„citur. Sacer enim textus ita habet: Qui a præ-
„ceptis & institutis Dei recedunt, merito etiam a
„facie ejus rejiciuntur. Iidem certe ex sanctorum
„etiam patrum legibus quam gravissima pœna ec-
„clesiastica digni reputantur, ut a dignitate & of-
„ficio, quod habebant, removeantur.„

„Cum itaque perceperimus, certioresque fue-
„rimus facti, vestrum Episcopum Leucadis & S.
„Mauræ Chrysantum, licet a Patriarcha nostro
„antecessore suspensum ab ecclesiastica dignitate,
„nondum obtenta ad hunc usque diem ecclesiastica
„absolutione; Nostrum vero Cephaloniæ Episcopum
„Sophronium, non impetrata adhuc Patriarchali
„& Synodica de ordinatione sua Bulla, omnibus
„hisce non obstantibus, ambo isti arroganter &
„parum honeste, antequam ex ecclesiastica consue-
„tudine, a principio observata, a nobis, Patriar-
„chali Bulla, potestate donarentur, consecrandi
„Gregorium Faceam, Philadelphiæ Metropolitam,
„illum quidem, qui ab orthodoxis Christianis in
„inclyta urbe Venetiarum commorantibus, tan-

„ quam Philadelphiæ Metropolita electus & inſti-
„ tutus fuit, conſecrare fuerint auſi: Quæ actio-
„ nes ſunt contrariæ ſacris Canonibus, qui peni-
„ tus in eos degradationem decernunt, qui ſine Pa-
„ triarchali Bulla & permiſſione eccleſiaſtica, epi-
„ ſcopum in quacunque Diœceſi conſecrare au-
„ dent, maxime eo, quem ſupra diximus, modo,
„ cum Leucados Epiſcopus abſolutione eccleſiaſtica
„ nondum ſit ſolutus, cum Cephaloniæ Epiſcopus
„ Patriarchales de ordinatione ſua Bullas nondum
„ obtinuerit.

„ Delictis hiſce in Concilio bene examinatis
„ atque indagatis, juſtum & æquum fuit viſum,
„ ut ambo ex Apoſtolorum ſanctorumque patrum
„ Canonibus divinisque legibus penitus officio ſuo
„ amoveantur & dignitate epiſcopali exuantur.
„ Quartus enim & triceſimus Apoſtolorum Canon
„ in hanc ſententiam loquitur: *Epiſcopus ne ultra*
„ *limites, ordinet, & ſi contrarii fuerit accuſatus,*
„ *una cum eo ſit degradatus.* Cui & 34. confor-
„ mis eſt eorun p ſtolorum Canon, & nonus
„ Antiocheni concilii. *Præter Permiſſum ſui Præ-*
„ *ſulis operari nihil au eant Epiſcopi, niſi id, quod*
„ *cujusque erit partium.* Decimus & tertius & XXII.

„ ejus-

„ ejusdem concilii Antiochieni ita habent: Si quis „ Episcopus non impetrata a Metropolitano per„ missione, Diœcesin intret aliam, consecraturus „ ibi, quicquid fuerit operatus, nullum sit & irri„ tum, ipse vero degradatus suaque dignitate pri„ vus maneat.

„ Nos igitur consentientibus omnibus reve„ rendis & sacris Episcopis Spiritualibus nostris „ fratribus & concelebrantibus, Synodice determi„ namus, ut supra dicti, sc. Episcopus Leucados „ & S. Mauræ Chrysantus, Episcopus Cephaloniæ „ & Zacynhi Sophronius, ex ea ratione, quia al„ ter quidem suspensus, alter vero absque Patri„ archali Bulla & permissione de sua ipsius con„ secratione, ausi tamen fuerint, sine prævia no„ stra Bulla & ecclesiastica permissione, ordinare „ supradictum Gregorium Metropolitam Philadel„ phiæ contra leges divinas, sacros Canones & „ ecclesiastica instituta ordinemque, quia sic pu„ blice contemtores sacrosanctæ nostræ ecclesiæ „ comparent, nulla ratione habita Sanctorum „ Canonum *Apostolorum a Deo inspiratorum* „ omniumque divinorum patrum, ambo ideo sint „ depositi, omnique usu Episcopali ac ordine privi

 „divi-

„divinaque gratia spoliati, ex numero Episcopo„rum expulsi, omni episcopali emolumento de„stituti, nec liceat illis uti habitu Episcopali, „tanquam depositis, omnique sacro careant, ita ut „Chrysantus & Sophronius appellentur, tanquam „duo privati considerentur, nec ut quis audeat „cum illis communia sacra facere, aut eos tan„quam Episcopos honorare, nec eis manus non „religiosas osculari, aut ab eisdem benedictionem „& sanctificationem accipere, sub pœna suspen„sionis & indissolubilis excommunicationis. Sic „fiat cum auctoritate. d. XI. Sept. 1762.

§. 31.

Negari nequit, Philadelphiæ Metropolitam, ecclesiæ græcæ Venetæ Metropolitam esse αὐτοκέφαλον, (*) sed a nexu cum Patriarcha Constantinopolitano immunem gerere sese nequit. Ἀυτοκέφαλοι sui juris sunt, neminemque præter

(*) Ἀυτοκέφαλοι etiam eo sensu sunt hi Metropolitæ, ut nec ipse Patriarcha Romanus sive per se sive per suos Episcopos ipsorum autoritatem possit infringere. Revocavit quidem Pius IV. quæ Leo X. & Clemens VII. pro Græcis statuerant, sed Bulla Pii IV. inter

ter Patriarcham, agnoſcunt Superiorem, de quibus ita Gabriel Philadelphienſis in opuſculo, de ſeptem Sacramentis. Εἰσὶ καὶ τινὲς ἐπισκοπαὶ, ἅιτινες ἐτιμήθησαν παρὰ τῶν πάλαι βασιλέων, τοῦ καλεῖσθαι ἀρχιεπισκοπαὶ, ἐι καὶ ὑπ' αὐτὰς ἐπισκοπὰς ἄλλας ὀυκ ἔχουσι τοῦ ἀρχιεπισκοπεύνσθαι. Inter αὐτοκεφάλους referrem & Pecii Metropolitanum, de quo in ſup. diſſ. qui Patriarchalem fere dignitatem & autoritatem invitis licet aliis præ ſe fert. Fuerunt, qui ex me quæſiverunt, quis ſit ille Pecii Metropolita. Græce ſcribitur Metropolita πεκίου, Pecii Civitatis Serviæ, cujus autoritas referente SMITIO *de eccl. Græc.*

ter Venetos non fuit accepta. Sic Populi Dalmatiæ Albaniæque, Græco Ritui addicti, toties Epiſcopum αὐτοκέφαλον ſibi experiere, qua de re Acta penes me extant. Habebant olim *Savadiam*, qui infinitum græcorum numerum ſecum adduxit. Hujus ſucceſſor erat *Giublibradich*, Slavus. At jam ſine epiſcopo relinquuntur, quod Græcos maximopere angit, & innumerarum perturbationum origo infelix eſt, cum Epiſcopi Romani alto ſupercilio in hanc Nationem invehantur. Quid mali

Græc. ſtat. hod. p. 56. in univerſam Serviam, a ſedecim Epiſcopis ſub illo adminiſtratam, exercetur. Scribitur & πεσκίȣ ἐν τῆ νέᾳ ἐκθέσει ad finem *Codini* de aula Cſtp. p. 419. Inter hosce ἀυτοκεφάλȣς referrem etiam Venetæ eccleſiæ Archiepiſcopum, Philadelphiæ Metropolitam, qui ſui juris cum nemine niſi cum Patriarcha communicat. Ἀυτοκεφαλία vero non niſi ab Imperatoribus olim pependit, adeoque & hodienum Principum eſt, eandem pro lubitu conferre, ſalvis juribus primi Patriarchæ. Jus enim, quod Iuſtinianus habuit, Acridum Dardaniæ oppidum, natale ſolum in ſedem Metropoliticam erigendi, id & penes

mali inde naſcatur, ex Epiſtola publica Hieronymi *Querini*, Prætoris, patet, in Actis n. 30. qui ita infit:

„Involto nell' ignoranza il Presbiterio, in „confuſione la diſciplina eccleſiaſtica, non è „gran fatto, che vi ſia facilmente intruſa & „prenda ſempre più piede la licenza e la cor-„ruttela, con quei mali e pernizioſi effetti che „ſogliono molte volte confonder la publica „e privata quiete.„ In ſeqq. momentum hujus rei ex genio nationis demonſtrat, quæ Epiſcopos ſuos inſtar oraculi veneratur.

penes alios eſt Principes. Illis maxime urbibus, quæ Provinciarum ſunt Capita, hoc jus ſponte posſunt dare. Sic quis inclytam Venetorum Rempublicam prohibeat, quo minus Philadelphiæ epiſcopo, quem habent, Metropolitæ titulum & inſignia conferant, ſicque, cum throno eccleſiaſtico, cathedram, ut loquitur Euſebius H. E. L. 7. c. 32. Hæc enim prærogativa ei debetur, qui civitatem obtinet, quæ in laterculo Imperii Metropolis dignitate fruitur, docente Motta l. c. p. 27. διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. Ipſe Archiepiſcopi titulus quoties ab Imperatoribus collatus? Motta l. c. p. 21. quem olim Afri patres tantopere reformidarunt, ut circa a. 385. in Concilio quodam Canonem dederint: περὶ τοῦ τὸν πρῶτον ἐπίσκοπον μὴ προσαγορεύεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ὥστε τὸν τῆς πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λέγεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρον ἱερέα ἢ τοιοῦτον τρόπον ποτὲ, ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας, quod & ſedulo obſervarunt Afri. Quæ ſi quis cum ſtatu eccleſiæ præſenti conferat,

mirum

mirum quantum discriminis intercedere deprehendet. Ubi enim antiquitas aliquid de Bullis inaudivit, quas repetere a Patriarchis necessum sit, licet id hodie fieri, in se, si more Constantinopolitano fiat, non vituperem. Ordo enim res est meri arbitrii, sed ordini proposito refragari, id nefas est. Observavit *Smithius* l. c. p. 54. ab Episcopis & *Presbyteris* ordinandis non leve, quod ad publicas rationes pertinet, percipi emolumentum, cujus afferti fides sit penes autorem, quam vero etiam ex Actis quæ præ manu habeo, confirmo. Ipse terminus Bulla tam recens est in ecclesia inventum, ut ævo certe Apostolico necessitas nulla, Bullas obtinendi, fuerit, licet in terminis faciles esse queamus, sive Bullas sive epistolas confirmatorias, quarum tamen auctoritatem nemo reprehendet, vocaveris. Ludicræ sunt derivationes Bullæ a *Rebuffio* in praxi apostol. p. 144. allatæ, v. gr. uti quondam Imperatores hac Bulla fuerint usi, sic hodie Papas acto de universo mundo triumpho hisce Bullis uti, ipse vero Rebuffius a Bullis aquæ derivandas censet. Hæc de Sophronio, qui Bulla non instructus erat, dicta sunto.

§. 32.

§. 32.

Alius est casus Chrysanti Leucados episcopi, qui a præcedente Patriarcha anathemate fuerat perculsus, quo nondum se solvit. Quæ de excommunicatione sentiat ecclesia Græca, satius te docebit *Thomas Smith* l. c. p. 175. 151. 156. & Crusius in Turco-Græcia p. 197. Duplex est has absolutiones considerandi modus, alter ex parte delinquentium, & an quædam pro ipsis militent rationes, alter vero ex parte Principis. Si verum est, quod Idem *Smith* asseverat p. 122. non nisi anxio labore corradi debent nummuli, quibus debito spiritualis satisfactorio pro excommunicationibus, satis quod est, fiat, quas pœnas sive mulctas pecuniarias ipse etiam Gabriel, ἔμπρακτον πλήρωσιν καὶ τελείωσιν τȣ̃ κανόνος vocat. Sit iterum fides penes autorem, id vero extra dubii aleam est positum, excommunicatum valide nec ordinare nec quævis sacra celebrare. Pro principe faciunt motiva sanæ politices, quæ uti pecunias Romam distrahi vetat, sic nec a quovis subdito extra statum auferri vult. Sed cum istiusmodi cautelæ nostro in casu non obversentur, id justum contra Chrysantum manet præjudicium, excommunicato nullas

esse

esse actiones. Porro extra Diœcesin non licere ulli Episcopo, consecrationem alterius suscipere, illud Concilium I. Constantinopolitanum a. 387. jam statuit, τὰς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ὑπερορίας ἐκκλησίαις μὴ ἐνιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας, quem Canonem Damasus repudiavit & Latini falsi argunt. cf. Baronius ad a. 381. & Motte p. 34.

§. 32.

Tertium denique documentum huc redit, ut ecclesiam Venetorum Græcam a Facea removeat. Illud vero ita fluit:

„ Joannichius divina gratia Archiepiscopus Con„stantinopolis, novæ Romæ & œcumenicus Pa„triarcha.

„ Honorandi & Nobiles Domini Procuratores „ecclesiæ S. Georgii martyris, laudatissimi Merca„tores, cœterique omnes benedicti Christiani Græci „nostræ Nationis & ecclesiæ Christi orientalis, in in„clyta & a Deo conservata Venetorum Republica „existentes & commorantes, filii in Deo a nostra „mediocritate dilecti, benedictionem vobis in Do„mino impertimus, spiritualiter & paterne vos „salutamus, omnipotentem DEum precati, ut vos

omnes

„ omnes in salute tum spirituali tum corporali con-
„ servet, ita ut felices, concordes unitique in uno
„ Spiritu sub communi nostra matre Sanctissima
„ Christi orientali ecclesia, tanquam ejusdem legiti-
„ mi & dilecti filii vivatis.

„ Non adeo multum effluxit temporis, ex quo
„ Epistola vestra ad nos pervenit, qua nos certio-
„ res fecistis, divina annuente misericordia & cle-
„ mentissime providente Deo, Serenissimam Rem-
„ publicam Congressui orthodoxorum nostrorum
„ Christianorum orientalium potestatem fecisse,
„ Metropolitam Philadelphiæ in vestra S. Georgii
„ ecclesia creandi, iisdem munitum privilegiis &
„ libertatibus, quibus olim erat instructus, annos
„ ante quinquaginta, qui immediate Patriarchali
„ nostro & œcumenico Throno debeat esse subje-
„ ctus, & ab eo consecrandus, ita ut spiritualiter
„ nostræ Nationis orthodoxos, ibidem commoran-
„ tes pascat. Vos vero ex inspiratione divina facta vobis
„ a Serenissima Republica potestate, misericordia
„ & humanitate in Nationem nostram permota,
„ sacrum Monachum Georgium Faceam elegistis,
„ propter quem a nobis poposcistis, ut Synodalem
„ mitteremus Bullam, vi cujus canonice & legitime

„fiat Episcopus, qua de re permultum fuimus „lætati, Deum laudavimus, qui ita voluit, Sere-„renissimæ Reipublicæ benedicentes & innumeris „actis gratiis ex animæ & cordis abundantia be-„ne precari, quæ publica cum munificentia & „charitate nostræ Nationi id beneficii voluit con-„cedere. Dum vero spirituale hoc donum ex „legibus & ecclesiæ Canonibus, omnibus nu-„meris debebat esse perfectum, neque sine exa-„mine, temere aut casu accidere, res enim san-„ctæ, inquiente Apostolo sancte debent fieri, ne-„que bonum vere bonum est, nisi revera bene „peragatur, vobis tum respondimus, nos hancce „nostræ Nationis felicitatem cum jubilis & ma-„gna lætitia accepisse. At, ut consecratio ex le-„gum fiat institutis, eodem misimus orthodoxam „fidei professionem ex usu & ordine ecclesiæ Chri-„sti orientalis, quam scripsimus, ut primo loco a „consecrando tum & aliquibus privatis Mercato-„ribus subscriberetur, subscripta ad nos mittere-„tur, sicut nos Synodalem nostram Bullam, qua „fiat consecratio, mitteremus.

„Dum vero, ut præcepta effectui darentur, „expectavimus, persuasi præcipue, fore, ut Vene-

tus

„tus orator, hic Constantinopoli sedens, nos ea
„de re certiores reddat, qui in aliis etiam sæcu-
„laribus negotiis Dominium Venetum spectantibus
„intercedit, multo magis vero in simili negotio
„ecclesiastico, a Serenissima Republica proposito &
„decreto, hac de re ne ab Oratore quidem aliquid
„inaudivimus. Inaudivimus potius, Gregorium
„huncce propria autoritate & temerario ausu, spre-
„tis tum divino tum humano jure invitatis duobus
„Episcopis contribulibus, Episcopo puta Cephalo-
„niæ & S. Mauræ, quorum quidem iste S. Mauræ
„episcopus præcedenti contra eum vibrata ecclesia-
„stica suspensione erit constrictus, Cephaloniensis
„vero hunc usque in diem Canonicam de consecra-
„tione sua Bullam nondum habuit, a quibus illega-
„lem consecrationem subreptitio modo accepit,
„nominatus ita in idea Philadelphiæ Metropolita.

Quæ temeritas in magnam nos conjecit indignationem, qua quippe JEsu Christi ecclesiam, perpetrato actu illegali, nihili habuit, facultatemque œcumenicam flocci pendit, ipse vero secundum ecclesiasticas leges & Canones tanquam reus fuit condemnatus, facto a nobis Synodico decreto, ut irregulari consecratione excidat, & una cum eo

bini Archiepiſcopi, qui contra Canones eum conſecrarunt, & inſuper una cum hisce ille, qui rem ei iſtam quaſi noſtris verbis referre fuit auſus, ſcilicet Philodicus Vizamanus, quapropter degradationes iſtæ canonicæ & ſynodales a nobis Corcyram Reverendiſſimo ibidem reſidenti Protopapæ fuerunt transmiſſæ, ut ibi prælegerentur, actionesque eorum tanquam indignæ promulgarentur. Quæ degradatio, ut & vobis innoteſcat, ecce Copiam degradations hujus Gregorii Faceæ authenticam, ut ſacras leges Canonesque noſtræ eccleſiæ defenderemus, quos diligentiſſime ex indiſpenſabili neceſſitate conſervare & quovis modo omni tempore ſecundum omnia ſyſtemata effectui dare ſtudemus, quæ de orthodoxis eccleſiæ Chriſti orientalis Chriſtianis reperiuntur. Immutabilis enim obſervantia Canonum, curæ nobis ita eſt, ne a quo conculcentur & ſpernantur, in univerſalem eccleſiæ noſtræ defenſionem & conſervationem. Poſtea alias etiam Literas veſtras accepimus, quibus inſtanter ſupplicaſtis mediocritatem noſtram, ut Gregorio iſti Patriarchalem noſtram mitteremus Bullam. At quo pacto, cariſſimi filii, id fieri poterit, ejusmodi conſecrationem, contra leges eccleſiæque Canones factam, a nobis ratam haberi? Ea potius ratio eſt, cur prædi-

ctus Gregorius, ut diximus, una cum consecrantibus synodice fuit condemnatus. Si quidem, uti vos testimonium ipsi perhibetis, sanctissimæ orientalis Christi ecclesiæ legitimus esset filius, si, uti ipse scribit, sanctissimæ nostræ Patriarchali sedi esset obediens, nostræque mediocritati subjectus, actionem similem perpetrare non debebat, temerariam eam quidem & maximopere illegalem & contra Christi ecclesiam, nobis subjectam, insurgendi, sed ante irregularem consecrationem patriarchales nostras Literas expectare debebat, cum ipsi præcepimus, ne ordinationem ante permissionem ab ecclesia vi nostræ Bullæ datam suscipiat, quo defectu ipse se condemnavit. Vos igitur omnes commorantes ibidem Christiani, accepta hac notitia cavete, ne qua in re tanquam sanctæ Christi ecclesiæ filii decipiamini, sed sani & integri fervidaque fide, observatis veris dogmatibus sacrisque legibus ecclesiæque Canonibus perseverate. Gratia Dei & infinita ejusdem misericordia, a nostra vero mediocritate benedictio sit cum Vobis omnibus. Datum Constantinopoli a. d. 8. Nov. 1762.„

Joannichius Constantinopoleos.

Benedictio a Deo & a nobis sit vobis omnibus.

§. 34.

Ut nunc omnia ordine historico recenseamus, dabimus succinctam facti speciem.

Electio Archiepiscopi Philadelphiensis, Ecclesiæ Venetorum Græcæ Capitis, sacerdoti cuidam obtingit, Domino Georgio Faceæ, qui & olim Capellanus ejusdem ecclesiæ fuit. Occultis ejusdem artibus fautorumque præpotentiæ id tribuunt nonnulli. Eruditissimo *Milia*, cujus nomen inter Eruditos non ignobile est, aliquid detrimenti vel præjudicii subnatum inde esse, constanter asseverant. Ipse enim Milia Vicarius Episcopalis jam erat, & per septennium ecclesiæ Græcæ præstitis sacris, se commendaverat. Suffragiorum vero numero *Milia* erat inferior, quam injuriam Simoniæ cuidam ex parte fautorum Faceæ tribuunt.

Facea itaque, suffragiorum præpondio electus, Corcyram se contulit, ut ibi consecraretur. Electio interim Patriarchæ Constantinopolin fuit rescripta, ut ab immediato hoc Metropolitano potestatem nancisceretur, consecrationem a tribus Episcopis ex canone 4. Concilii Niceni suscipiendi. Patriarcha respondit, minatus, ne ordinationem suscipiat, ante quam certis abusibus sufficientem parasset medelam, qui legitima ecclesiæ orientalis jura videbantur infringere.

Non

Non curata prohibitione, fautores Faceæ eo rem adegerant, ut consecratione quidem, quam ipsi Græci, Simoniacam & illegalem vocant. Venetias redux, Episcopum se gesserit, & sedi episcopali immitti juribusque annexis uti præsumserit. Sed Patriarchalibus Bullis non instructus, quæ requisita sunt ex jure Græcorum ecclesiastico absolutæ necessitatis, Princeps ipse omni functione Episcopali omnique cujuscunque juris usu eum interdixit.

Tempore electionis & consecrationis bina Brevia a Papa mittebantur, quorum prius electionem, alterum consecrationem declarabat irritam. AtEcclesia orientalis,quæ prærogativam dignitatisPapæ concedit, non auctoritatis, Concilio eum vult subjectum. Fautores Faceæ epistola æquivoca & forsitan suppostitiis Bullas Patriarchales quovis momento exspectandas mentiti, hac spe Græcos deluserunt, ut muneri immitteretur. Pontificalibus sacris ille functus, Missam nunquam celebravit. XLV. die post,Bullæ Cstp. Venetias perferebantur, quibus vero Patriarcha in alia omnia abiit, ac sperarant Faceæ amici. Omni quippe sacro charactere privatus, inque Laicorum conditionem delatus declarabatur, additis minis gravibusque censuris contra omnes, qui sacra cum ipso facere aude-

auderent. Aliquot poſt dies in templo comparere non deſtititFacea. Sed quam lugubris ſchiſmatis hujus facies? Conſpecto Facea, omnes ex templo ſe amovebant, ita ut vel plane ſolus vel certe cum paucis ibi relinqueretur amicis. Nunquam vero voluit, ut nomen ipſius ex Diptychis,ex Miſſa aliisque officiis ſacris deleretur vel omitteretur. Commemoratio vero Faceæ degradati, cum tam Celebrantem quam adſtantes profanet, nemo eccleſiam hanc adit, cultusque Græcorum, ne polluatur, plane jacet.

Idvenit tertium Breve Romanum, Papæ vero, qui quavis ratione rebus Græcorum ingerere ſe conatur, ne tantillum quidem juris hac in re tribuitur.

Ex debito eccleſiaſtico tum conſecratus tum conſecrantes Conſtantinopolin ſcribunt, factam eſſe Conſecrationem, quibus acceptis literis Synodum convocavit Patriarcha Epiſcoporum, qui omnes ſententiæ de deponendo Facea acceſſerunt.

Patriarcha interim Joannichius throno detruditur, at ſucceſſor unus eſt eorum, qui Synodo interfuerunt. Manet itaque firma contra Faceam ſententia! Sicque, quod dolendum, dum lapis offenſionis tollatur, durabit hocce eccleſiæ Venetæ & Dalmatinæ ſchiſma, Græcis funeſtum, Faceæ probroſum.

✥ ✥ ✥